

B. M. II 372^a
h. 72, 18.

(X 1876256)

PK
1002

DE
CENTESIMIS
VSVRIS

ET

FOENORE VNCIARIO

Ad L. XXVI. §. I. C. de Vsuris

D. O. M. A.

PRAESIDE

DN.

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

IOANNE STRAVCHIO,
Iureconfulto, Serenissimi, Celsissimique

Principis ac Domini, Domini BERNHARDI, Ducis
Saxoniae, Consiliario intimo ac Vice Cancellario, Consistorii Ec-
clesiastici Praeside; itemque Ordinis Iuridici Seniore,
Curiae Prouincialis & Scabinatus Assesore,

Domino Patrono & Doctore suo etatem colendo

disputabit

I. PHILIPPVS SLEVOGTIVS.

A.D. XXIII. Octobris.

JENAE,

Literis KREBSIANIS.

clō Ioc LXXII.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)



Seneca.

Multum interest, vtrum ad consum-
tam materiam, vtrum ad subactam
accedas. Crescit indies, & inuenturis in-
uenta non obstant. Præterea conditio
optima est vltimi. Parata verba inuenit,
quæ aliter instructa, nouam faciem ha-
bent. nec illis manum iniicit tanquam
alienis. sunt enim publica.

SERENISSIMIS.
 CELSISSIMISQVE.
 SAXONIAE.
 PRINCIPIBUS.
 AC. DOMINIS.
 ILLVSTRIS. AD. SALAM.
 ACADEMIAE.
 NVTRITORIBVS.
 MVNIFICENTISSIMIS.
 PATRIBVS. PATRIAE.
 DOMINIS. MEIS.
 CLEMENTISSIMIS.



*SERENISSIMI. AC. CELSISSIMI.
PRINCIPES.*

Non poteram feliciter imita-
ri veterum morem, quo læ-
ta ubique operum suorum
initia captabant; quam si ab auspi-
catisimo nomine Vestro præfenti
scri-

scripturæ splendorem ac decus foerarer. Neque contemnetis prima liberalis doctrinæ iurisque civilis tentamenta : quæ ad Vos potissimum affectabant viam, DOMINI, quorum inusitata benignitate, in augustissimo hoc bonæ mentis sacrario, decora ingenia quotidie efflorescunt. Non mihi ambitio aut fiducia studiorum scribendi argumentum dedit. Pleniore obsequio demereri Patronos annitor; quibus haut displicere videbar, si otii mei, & vitæ inter secreta Musarum traductæ rationem publice redderem. Admittetis vero propitii



pitii hunc paupertini ingenii foc-
tum: indignum illum quidem Prin-
cipali conspectu; satis beatum ta-
men, si deuotæ pietatis ac reueren-
tiæ quaecumque pignus exhibebit.
Valete SERENISSIMI PRINCI-
PES, & immortalitati rei publicæ
viuite!

SERENITATVM VESTRARVM.

humillimus

ctius

I. PHILIPPVS SLEVOGTIVS.

AD L. XXVI. §. I. C. DE VSRIS



DE
CENTESIMIS
VSVRIS

ET
FOENORE VNCIARIO

Ad L. XXVI. §. I. C. de Vsuris
DISSERTATIO.

Verba Legis.

Imp. Iustinianus A. Mennae P. P.

HOs qui principali actione per exceptionem triginta vel quadraginta annorum, siue personali, siue hypothecaria ceciderunt, iubemus, non posse super vsuris vel fructibus praeteriti temporis aliquam mouere quaestionem, dicendo, ex iisdem temporibus eas velle sibi persolui, quae non ad triginta vel quadraginta praeteritos annos referuntur, asserendo, singulis annis earum actiones nasci. principali enim actione non subsistente, satis superuacuum est, super vsuris vel fructibus adhuc iudicem cognoscere.

A

§. I.

VS.



AD L. XXVI. §. I. C. DE VSVRIS

§. i. Super usurarum vero quantitate etiam generalem sanctionem facere necessarium esse duximus, veterem duram & gravissimam earum molem ad mediocritatem deducentes. Ideoque iubemus illustribus quidem personis, siue eas precedentibus, minime licere ultra tertiam partem centesimae, usurarum nomine in quocunque contractu, vili vel maximo stipulari. Illos vero, qui ergasteriis praesunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, usque ad bessem centesimae usurarum nomine in quocunque contractu suam stipulationem moderari. In traiectionibus autem contractibus, vel specierum foenori dationibus, usque ad centesimam tantummodo licere stipulari, nec eam excedere, licet veteribus legibus hoc erat concessum. Ceteros autem omnes homines dimidiam tantummodo centesimae usurarum nomine posse stipulari. & eam quantitate usurarum etiam in aliis casibus omnibus nullo modo ampliari, in quibus citra stipulationem exigere usurae solent. Nec liceat iudici memoratam augere taxationem occasione consuetudinis in regione obtinentis. Si quis autem aliquid contra modum huius fecerit constitutionis, nullam penitus de superfluo habeat actionem. sed & si acceperit, in sortem hoc imputare compelletur. Interdicta licentia creditoribus ex pecuniis foenori dandis aliquid detrabere vel retinere siliquarum nomine

DISSERTATIO.

mine, vel sportularum, vel alterius cuiuscunque cause gratia. Nam si quid huiusmodi factum fuerit: principale debitum ab initio ea quantitate minuetur, ut tam ipsa minuenda pars, quam usurae eius exigi probibeantur. Machinationes etiam creditorum, qui ex hac lege prohibiti maiores usuras stipulari, alios medios subiiciunt, quibus hoc non ita interdictum est, ressecantes, iubemus, si quid tale fuerit attentatum, ita usuras computari, ut necesse esset, tanquam si ipse, qui alium interposuit, fuisset stipulatus. in quo casu sacramenti etiam illationem locum habere sancimus. Datum Constantinop. Iustiniano Cos.

CAPVT I.
DE
INSCRIPTIONE ET SVB-
SCRIPTIONE LEGIS.

ARGVMENTVM.

Menas quisnam, & ubi Praefectus Praetorio fuerit. Interdum bini in Oriente Praefecti P. interdum tres delegebantur. Idem Menas fuit Praef. Prat. Illyrici. Alii eiusdem nominis. Olim tantum equitibus Romanis deferebatur Praefectura Praetorii. Dignitas & potestas Praefectorum Praetorii. C. Adamus Rupertus notatus. Praefectura Praetorii officium nullo certo tempore definitum. Auctores qui de eo scripsere. Subscriptio legis.

Sancionis huius inscriptio, ut hinc differendi initium capessamus, praefert Iustinianum Imperatorem, & Menam, siue Mennam, Praefectum Praetorio: qui Const. de Iustiniano Cod. conf. Expraefectus urbis Constantinopolitanae ac Patricius appellatur. Meminit eius Alemannus ad historiam aeganam Procopii: *Menas Patricius Praefecturam Praetorio* p. 96.



AD L. XXVI. §. I. C. DE VSVRIS

torio gessit Iustiniano Augusto II. Cos. usque ad mensem Augusti insequentis consulatus. Variæ ad ipsum constitutiones in Codice leguntur: quarum aliæ Iustiniano II. aliæ Cæcinnæ Mauro Decio in occidente Cosl. anno æræ Dionysianæ DXXIX, promulgatæ fuerunt. Sub idem vero tempus Basilides, Atarbius & Iulianus officio amplissimæ Præfecturæ fungebantur. Istum quidem *Constitutio de Iustin. Cod. confirm.* Præfectum Prætorio per Illyricum appellat: hos vero, quibus inscriptæ sunt *l. 42. C. de Episc. & cler. l. 23. de S. S. Eccles.* in Oriente cum Menna fuisse, vel inde perspici potest, quod aliæ nullæ neque Africæ, neque Italiæ præfecturæ erant: quum prouincias hasce Imperator nondum in ditionem suam rede-gisset. Et verisimile est, Mennæ decesforem Atarbium existisse. nam Iulianus diutius muneri huic præfuit: vti legum variarum subscriptiones docent. Non raro autem binî Præfecti Prætorio simul in Oriente delegebantur. De Iustiniani æuo loquitur *l. 54. C. de Episc. & cler.* quæ haut obscure ostendit duos pariter vnaque in vrbe fuisse. Quin imperante Claudio Lusum Getam, & Rufum Crispinum; Sub Nerone Fenium Rufum, & Sofonium Tigellinum; Galba & Othone regnantibus eundem Tigellinum & Nymphidium Sabinum floruisse, ex Tacito, Suetonio, Plutarcho discimus. Neque tamen insolitum plane, vt tres interdum coniunctim summam rempublicam administrarent. Lampridius in Commodo: *Præfectus etiam Ebutianus inter hos est interemtus: in cuius locum ipse Cleander cum aliis duobus, quos ipse delegerat, Præfectus est factus. Tuncque primum tres Præfecti Prætorio fuere: inter quos libertinus, qui a pugione appellatus est.* Didius quoque Iulianus, vti Spartianus in vita ipsius tradit, Flauium Genialem, Tullium Crispinum, & Veturium Macrinum Præfectos Prætorio fecit.

*Ann. 12, 42,
1. & 14, 51, 4.
Suet. in Gal-
ba. 11. Plut.
in Galba.*

Equidem *Nouella 153* Menas Præfectus Prætoriorum Illyrici appellatur; at vero illud ipsum ab vltima demum Codicis promulgatione, hoc est, post annum DXXXIV, quo tempore *Nouellæ* leges cœperunt, contigit. Hinc minus conuenienter nonnulli Menam, Archiepiscopum Constantinopolitanum & Patriarcham, eundem cum nostro esse adfirmant. Anthimo enim de sede re-
giæ

DISSERTATIO.

5

giæ vr̄bis ab Agapeto Papa deiecto, post consulatum Belisarii, vid. Baron. ad Ann. 536
 anno nempe DXXXVI, Menas in locum ipsius sublegebatut: p. 371. lit. e.
 quem *πρεσβύτερον* primo καὶ *ξενόδοχον τῶν Σαμψῶν* fuisse, Ce-
 drenus auctor est. Sequentibus vero temporibus demum san-
 ctissimum munus cum seculari dignitate illum commutasse, ne-
 minifortassis persuaserim. Eiusdem quoque nominis Mauri- Cedrenus ad ann. 18. Maur. Imp. p. 400.
 tio regnante fuit quidam Aegypti Præfectus; insigni prodigio, *Stephanus in Dictionario Hist. Geograph.
 quod ea tempestate accidisse dicitur, memorabilis. Et alium *Plut. in vita Romuli.
 quendam natione* Samnitum, nomine Menam, siue Menum, com-
 memorant: qui procul hominum coetibus, ne quid esset otiosus, Lamprid. in vita Alex.
 apes curabat. Noster, uti ostensum est, Senatoria dignitate con-
 spicius, & quidem ex eorum ordine erat, qui a primis centum
 Senatoribus suam repetentes originem, *Patricii appellabantur.
 Post almæ vr̄bis Præfecturam, Prætorii administravit: quæ
 ante Alexandrum Seuerum, nisi equitibus Romanis, non facile
 deferebatur. Hic primus Imperatorum Præfectis Prætorii Se-
 natoriam addidit dignitatem: *ne quis non Senator de Romano Sena-
 tore iudicaret.*

De officio eorum Aurelius Arcadius Charisius, Christianus
 Iureconsultus, librum singularem scripsit. *l. vn. π. de off. P. P.* So-
 crati audiunt *μείζονες τῶν ἄλλων ἀρχόντων, δὲ τεργί μὲ βασιλέα.* Hist. Eccl. 2. Epist. 16. ad Prob.
 Ausonius de Probo Præfecto Prætorii: *Qui solus, exceptis tribus he-
 ris (Imperii consortibus) Herorum primus est.* Male autem doctis-
 simus Rupertus, ad Enchiridion Pomponii, Præfecto vr̄bi parem c. 19. p. 297.
 cum Præfecto Prætorii potestatem, argumento *l. 1. C. de P. P.* vi-
 detur tribuere: ibi enim non de imperio & iurisdictione, sed
 tantum de dignitate, sede ac loco honoris exæquandis, cum se-
 quenti lege agitur. Istud præterea obseruationem meretur, non
 circumscriptum certis temporibus officium hoc fuisse. namq; pen-
 debat ex arbitrio principū, qui aliis perpetuo, aliis ad paucissimos
 dies id concedebant. Procopius in *Ανεκδότοις* Phocam & Basum p. 301.
 refert sub Iustiniano, veluti non bonæ frugis homines, neque mo-
 rum eius ætatis, vix ad paucos menses hunc sibi honorem serua-
 re integrum potuisse. Et si quæ fides habenda eidem histori-
 co, in vsu Imperatori erat, ut Præfectis Prætorio ex libidine
 agere

inse-
 ce le-
 Decio
 ulga-
 lia-
 qui-
 per
 C. de
 e, vel
 e Ita-
 non-
 e de-
 huic
 n ra-
 ntur.
 haut
 n im-
 o Ne-
 otho-
 num
 men
 n pu-
 febus
 lean-
 tunc-
 s, qui
 us in
 Ve-
 i ap-
 ulga-
 eges
 Me-
 nam,
 e re-
 giæ

AD L. XXVI. §. I. C. DE VSVRIS

Lampr. in
Vita Com-
modi.

Exerc. Ju-
rid. IV, 12.
& sequ.

ad Genes.
37. v. 36.

agere cuncta, subiectorumque fortunas auferre ac diripere per-
mitteret: occupata vero occasione, nihil quidquam metuentes
mali, inevitabili oneraret calumnia, atque de bonis omnibus de-
turbaret. Commodus etiam imperante mutabantur sæpius Præfecti
Prætorio per horas ac dies. Niger sex tantum horis; Marcus
Quartus quinque diebus ea dignitate gaudebant. Cætera quæ
ad argumentum hoc pertinent, varii luculenter perscripserunt.

Post laudatos a magnifico & nobilissimo viro, D. Georgio Adamo
Struuiio, IC. ac Consiliario Saxo-Vinariensi eminentissimo, videri
quoque possunt Petrus Faber I. Semestrium; Iacobus Gutherius
de officiis Augustæ domus; C. Adamus Rupertus ad Enchiridion
Pomponii; & in antiquitatibus Biblicis J. Conradus Dietericus.

Data est præsens constitutio Constantinopoli (quæ tunc
sedes regia in oriente) Iustiniano Consule: anno puta æræ
Christianæ DXXIX. Erat is tertius imperii Iustiniani, atque se-
cundo solius ipsius consulatu insignis. Restituenda hinc quo-
que subscriptio legis sequentis: quam eodem omnino tempore
fuisse sancitam, ex primis statim verbis patescit. Sed satis de his
dictum est: nunc reliqua exequamur.

CAPVT II.

DE

VSVRIS AC MODO VSV-
RARVM IN GENERE.

ARGVMENTVM.

Vsuræ notatio & acceptio varia. Definitio. Quantitas & accessio quid-
nam sint. Vt in eodem genere cum sorte vsuræ consistant, non opus
est. Vsuræ neque id quod interest, neque nudum tantummodo lucrum
sunt. Hoc pluribus demonstratur. Cur vsuræ dicantur præstari
ob vsum. Prima vsurarum origo in mutuo. Menstruarum vsura-
rarum origo. Refutatur Cuiacius. Ex mutuo ad alios contractus vsuræ
transierunt. Cur publicis legibus sint definitæ. Due vsurarum
species. Fœnoris notatio. Nonius Marcellus reprehensus. Fœ-
noris vox varia significat. Differentia vsurarum & eius quod interest.
Expli

DISSERTATIO.

7

Explicatur l. 17. §. 3. de Usuris. Usura vniuersim spectate damna-
ri nequeunt. Cautela quedam in iis exigendis obseruanda. Ob
abusum optandum esset omnes omnino tolli. Cur Deus foeneratio-
nem prohibuerit. Frustra vsura vetantur. Character foenera-
toris. Causa impulsua constitutionis nostrae. Iustinianus in-
iuste a Procopio accusatur. Modus olim vsurarum centesima. De-
inde constitutionibus Principum alius fuit definitus. Laudatur con-
stitutio Iustiniani. In terminandis vsuris creditoris praecipue ratio
habenda.

Posteaquam Imperator in principio legis de praescriptione
vsurarum tractauerat, quantitatem quoque illarum sequente
paragrapho moderatur. Agitur itaque de vsuris. Nomen ab
utendo descendit, idemque saepius cum usu denotat. sic vsuram
corporis, vitae, lucis, temporis apud Plautum & Ciceronem legi-
mus. Factum deinde est consuetudine loquendi, vt pro mercede
usus acciperetur: qua ratione vectura iam ipsam vocationem, iam
mercedem illius, & ναύλον seu Φόρετρον designat. l. 62. de R. V. De
mercatura Nonius Marcellus: Merx est species ipsa: mercatura
actus ipse, vel lucrum de merce. Graecis etiam εὐαγγελίων pro nun-
cio lato ac praemio eiusdem promiscue usurpatur. Bene au-
tem obseruatum fuit, veteres vsurae vocabulum numero vnitatis
de usu, pluralitatis de accessione sortis magis adhibuisse. vnde usu-
ras centesimas, quincunces, semisses dixere saepius, quam centesimam,
quincuncem, aut semissem. Causa huius locutionis ea fortassis,
quod fors plerumque plurimum erat centenum; aut dilata longius
solutione plures centesimae, quincunces, sextantes, semisses si-
mul erant praestandae.

Salmas de
Vf. 4. p. 83.
Gronou. de
Sestert. 3, 13.
Honor. Leo-
tard. disp.
Quid ius
Iustin. de vs.
stat. part. 1.
sect. 1.

Nobis vsurae sunt accessiones quantitatis, quae in compensatio-
nem interceptae utilitatis, tanquam interesse, petuntur. *Quantita-
tem appellamus earum rerum, quae non considerantur, vt corpus
iam determinatum, sed in singulos modios aut metretas, in singu-
la corpora appenduntur, admetiuntur, vel annumerantur. qua-
les sunt aurum, argentum, vinum, triticum, nummi. Aliud lon-
ge in iumentis ac gregibus: nam ovium quantitas non determi-
natur per numerum; sed singulae, suam naturaliter quantitatem
habentes, in contractum veniunt. l. 35. §. 5. & 6. de contr. emtione.

*Vid. Magn.
Dn. Praeses
Disp. Inst.
13, 8.
Magnif.
Struu. Ex-
Jur. 16, 14.

Sane

er-
ces
le-
di
us
uz
mo
eri
ius
ion
is.
unc
eræ
e fe-
uo-
ore
e his

V-

quid-
a opus
ucrum
estari
vsura-
vsurae
rarum
. Foe-
nterest.
Expli

AD L. XXVI. §. I. C. DE VSVRIS

Sane l. 17. §. ult. de usur. l. 1. de naut. faen. l. 25. C. de usur. videntur deberi
 usuræ statuarum, mercium trans mare vehendarum, & vestimenti.

*Pacius ad
 tit. Cod. de
 Usur. p. 706.
 § 746.
 †Cuiac. ad
 tit. ff. de
 Usur.

Sed facilis responsio. *neque enim tam illarum rerum, quam æsti-
 mationis usuræ spectantur. Finimus porro usuras per † *accessiones*:

*Tholosang
 Synt. Jur. V-
 niu. 22, 3, 2.
 Leotard. de
 Usur. qu. 1.
 §. 4.

quod verbum latissime patet, & comprehendit id omne, quod ex
 alia re tanquam principali nobis obuenit, ab eaque siue naturali-
 ter, vt fructus; siue ciuilitate, vt pensio, merces, usura descendit.

Nihil vero refert, vtrum *accessiones* hæ, seu usuræ, sint eiusdem
 cum principali quantitate generis, an diuersi. *l. 16. C. de usur. c.

14. qu. 3. c. 3. c. 1. § 2. de usur. c. illos vos. de pignor. Diximus tan-
 dem; *eas in compensationem interceptæ utilitatis, tanquam in-*

teresse, peti. Neque enim sunt vere illud, quod interest; neque et-
 iam nudum tantummodo lucrum: vt falso Iureconsultorum

nonnulli, qui omnes in vniuersum usuras iniquitatis deferunt,
 arbitrantur. Quod vt evidens magis fiat, operæ pretium videtur,

excedere paululum, atque rem omnem altius repetere. Po-
 nemus vero certa quædam principia, ex quibus in cetera pro-

bationes nostræ exeant. Præmonemus quoque, quæstionem
 hanc non in hypothesi & in persona huius vel illius pauperis aut

diuitis; sed generatim atque in thesi esse tractandam.

Quum in ambiguis recepti ab omni tempore iuris fuerit, vt
 meliorem semper in partem fieri præsumptio debeat; quilibet et-

iam rerum suarum indigere, atque ex earundem usu quærere vi-
 tæ subsidia præsumendus est. Deinde nemo dubitauerit, ex

pecunia non minus, quam aliis fortunæ bonis, percipi utilita-
 tem posse. Quamquam enim est suapte natura sterilis; perinde

tamen eam, vt domos & res alias natura infæcundas, hominum
 industria fructuosam facit. Post hæc tenendum, tantum ad nos

detrimenti redire, si non vtamur, aut vti nequeamus rebus no-
 stris; quantum, si vtamur, emolumentum sentimus. vnde plus dare

creditur, minus recipere, qui tempore minus recipit: ob utilita-
 tes, quas secum fert ἡ φυσικὴ κατοχή. Ad vltimum dicitur natu-
 ra, neminem suo cum malo aliis bono esse teneri.

Ex his iam illud conficitur: quotiescunque ab aliis deti-
 nentur, quæ iure ad nos, siue in genere suo (qualia sunt debita

ex

DISSERTATIO

ex mutuo) siue in specie pertinent; tantum quemque in compensationem deponere merito posse, quantum ei utilitatis ob cesantem rerum illarum usum decedit. Quandoquidem vero adcurate semper dignosci nequit, quantum intersit reuera; deueniendum est ad coniecturas: vt eam summam impune liceat exigere, quae probabiliter ex re nostra, quamdiu eius utilitatem alter intercipit, lolet redire. Atque hinc usurae fuerunt natae: quae sic appellantur; quod praestentur ob usum, & sint quasi merces vsus. Debetur haec appellatio receptae vulgo loquendi consuetudini: poniturque per metonymiam causa pro effectu. Dum enim quis fruatur; aut certe potest ac praesumitur frui re aliena, quam habet; dominus interea vsu illius destitutus, damno afficitur, vel lucro priuatur: ob haec autem vere ac principaliter; non ob usum alterius, pensiones eiusmodi expetuntur.

Quantum ad primam vsurarum originem, eam reperiri putauerim in mutuo. Nam quilibet fere mutuo daturus, praetexebat indigentiam & iacturam rei familiaris: neque temere concedebat quidquam, nisi indemnem se nouerat futurum. Alter vero coactus necessitate, facile se sponsione pensionis, quam creditor stipulabatur, obstringebat. Hinc quoque menstruarum vsurarum fons & origo. Plerique saepius non in annum; sed ad vnum vel alterum tantummodo mensem credere, aut accipere pecuniam volebant. Taxato itaque modo lucelli, quod probabiliter ex credito capere in mensem quisque poterat; usurae quoque respectu eiusdem definiiebantur. Quod si ad diem praestitutum sortem non soluebat debitor, habita eiusdem menstrui ratione, protrahebantur usurae. Quum autem multi creditorum carere diu mercede rerum suarum non possent; non expectabant, dum exisset tempus ad pensionem exigendam; sed ad finem singulorum mensium eam flagitabant, quod diuturna consuetudine postea in mores abiit. Non sane subscribere possum excellentissimo I. C. Iacobo Cuiacio: qui ea de causa creditores in singulos menses vsuras stipulatos fuisse asserit; vt hoc scilicet pacto, solutae per tempora & partes, duplum excederent. quod olim permittebatur. *l. 20. C. de usur.* Parum enim putauerim re-

vid. Salmaf. de M. V. p. 58. & seq. Ad Afric. tr. 7. l. pen. de R. Cred.

B

ferre,

eberi.
enti.
æsti-
ones.
od ex
itali-
ndit.
dena
ur. c.
tan-
in-
e et-
orum
unt,
etur.
Po-
pro-
nem.
aut
t, vt
t et-
e vi-
, ex
lita-
nde
num
nos
no-
dare
lita-
atu-
leti-
bita
ex

ferre, vtrum in menses singulos, an in annos vsurae promittantur: quum annuae quoque per partes; hoc est, quotannis exigi, atque eodem modo excedere duplum queant. Porro consuetudo haec ad Romanam gentem a Græcis propagata fuerat: apud quos publica Solonis lege sancitum antiquitus: τὸ δὲ γέροντι ἐπίσιμον εἶναι, ἐφ' ὅποσον αὐτὸ βάλῃται ὁ δανείζων, *vsurarum modus esto, quem stipulatus fuerit foenerator.* Quin hoc fere iure utebantur veteres, vt vsuras sub fine anni non solutas sorti adiicerent; *improbum exercentes foenus, & vsuras vsurarum exigentes:* vt Diocletianus & Maximianus Impp. loquuntur. *l. 20. C. Ex quib. caus. infam.* Non prohibebantur igitur duplum excedere: neque causæ quidquam fuit, cur dissimulanter potius ac per malitiam, quam aperte & simpliciter agerent. Hae vero vsurae pedetentim quoque in alios contractus immigrauerunt. Neque illud iniuste factum: naturaliter enim licet incommoda & detrimenta in nos redundatura declinare.

Vt autem nulla tam salutaris medicina est, quin adhibita male perniciem afferat; ita vsurae quoque in compensationem detrimenti tacita consuetudine introductæ, magnam tandem reipublicæ pestem importarunt. Mox enim quæstum occipiebat auaritia mortalium, atque aucta immensis vsurarum incrementis forte, bonis fortunisque omnibus debitores exspoliabat. Hic iam coërcere improbitatem magistratus cogebatur. Quid faceret autem? Prohibitum ire in vniuersum vsuras, parum videbatur consultum: neque enim in se spectatæ quidquam iniquitatis habebant; & nemo ciuium suo cum damno aliorum necessitates erat subleuaturus. Ponere vero legem, vt quod vere interesset, tantummodo liceret petere; ob probationis difficultatem non satis expeditum erat. Itaque illud tandem relinquebatur, vt certam ac definitam summam in locum interesse substitueret; extra quam egredi nemini cuiquam permetteretur. Hanc autem generatim pro arbitrio magistratus determinabat. Nam ob varietates casuum ac personarum, sciri adcurate haut poterat, vtrum vere damnum aliquod; vtrum maius minusue faceret, cuius pecunia, frumentum, vinum, oleum, ab alio possidebantur.

Petit. ad LL.

Attic. 5, 4.

Casaub. ad

Theophrasti

char. & c.

μικρολογίας

DISSERTATIO.

tur. Et solent communiter non in singulas personas, sed generaliter iura constitui. l. 8. de LL.

Romani porro variis limitibus, tam quæ in mutuo, quam aliis contractibus occurrunt, vsuras circumscripserunt. Dux autem vulgo ponuntur species: quarum altera est ad quantitatem Magn. Dn. ex quacunque etiam causa, præter mutuum, principaliter debitam, accessio; atque ex conventionem, aut mora debetur. l. 17. §. 4. l. 32. §. 2. de Iust. 18, 13. usur. l. 2. C. de pos. t. t. C. de usur. & fruct. leg. altera peculiari fœnoris nomine insignitur, describiturque per accessionem ad sortem creditam. Fœnus, auctore Nonio, ab eo dictum est, quod pecuniam pariat incrementi tempore, quasi fœtus aut fœtura. Nam & Græci τὸν κῆλον dicunt ἀπὸ τοῦ κίττειν. Verum hæc male conveniunt: fœtus enim non parit, sed nascitur. Melius idem de fœnore, siue redditu ex mutuo: Est accepti fœtus: unde & fœnus dictum est, ut Græce τὸν κῆλον, quasi partus mutui sumti. Proxime autem ad veritatem accedit Claudii Salmasii sententia: qui originem fœnoris a voce ποινὴ vel ποινῆ deducit; communi π in digamma Æolicum & Latinum F mutato. Hoc verbum non tantum pœnam & mulctam significat; sed ἀντίσημα etiam, pensionem, hostimentum; quum aliquid pro alio redditur tam in honorem, quam in contumeliam. Et signat fœnus modo sortem ipsam cum accessione, itemque totum negotium fœneratorium; modo simpliciter vsuras, siue accessionem ad sortem ex mutuo debitam; quo sensu hic quoque accipitur: ut tamen cum optimis auctoribus præcipue vsuras ex pecunia credita; & per fœneratores, eos, qui pecuniam sub vsuris credunt, intelligamus: ut ut vinum, triticum, oleum fœnori etiam dari dicantur. Nou. 34. l. 14, 16. C. de usur. & legis nostræ §. 1. verb. specierum fœnori dationibus. nam hæc frequentius generis nomen solent retinere.

Magn. Dn. Præses Disf. Iust. 18, 13. Vid. Salmas. de Usur. 2. Gron. in Mantissa Pec. Vet. r.

Honor. Leob. tard. dispa. quid Iust. de Usur. statuerit. part. 1. sect. 1.

Ex istis, quæ prolata iam sunt, haut perplexe poterit iudicari, vsuras neque confundi debere cum eo, quod interest; & falso accusari legislatores, qui publicis legibus eas concesserunt. Interesse in quamvis obligationem, siue dandi, siue faciendi cadit, & quarumvis rerum nomine præstatur: vsuræ vero tantum in obligationibus dandi, & rebus quantitate constantibus locum habent.

nture
tque
haec
quos
ov ei-
quem
eres,
obum
anus
fam.
ausæ
quam
quo-
ste
nos
ibita
nem
dem
ebat
entis
Hic
l fa-
ide-
qui-
ne-
vere
alta-
que-
osti-
anc
lam
rat,
t,
an-
tur.

bent. I d, quod interest, simul ac semel; vsuræ per interualla petuntur. Pro varietate quoque casuum, modo plus; modo minus; modo nihil interest. *l. 13. de re iud. l. 112. §. 1. de V. O.* ac proinde eius probatio actori incumbit; quæ ubi deficit, ad exiguam summam res deducitur. *l. ult. de prat. stipul. §. non solum. Inst. de V. O. l. 1. C. de sent. quæ pro eo.* Usuræ certæ semper ac determinatæ sunt: neque requiritur, vt petitor doceat, reuera sibi tantum emolumentum decessisse. Sufficit conuentionem, aut moram probari: nam ob præsumtum interesse vsuras iam definiuit legislator. Pauli verba *l. 17. §. 3. de vsur. Usuræ enim non propter lucrum petentium, sed propter moram soluentium, infliguntur:* varie interpretes explicant. Nobis ea IC. mens fuisse videtur. In bonæ fidei iudiciis vsuræ non promissæ, haut simpliciter, ut lucrum faciamus; sed tum demum iudicis officio adiudicantur, quoties quis tardius pecuniam, & sua quidem culpa, infert. Namque tunc moram facit; vsuque rerum nostrarum præciso (quisquis autem re sua præsumitur indigere ac vti) debitum nobis emolumentum interuertit. Atqui ob hanc interceptæ utilitatis præsumtionem, sola mora soluentem ad vsuras damnat: in quibus præcipue compensatio; secundo loco, pœna debitoris, respectu primæ legislatorum intentionis, consideratur.

Inique porro spectatæ generatim vsuræ damnantur. Et ignoscendum est piissimo sanctorum Patrum, aliorumque zelo; quo nimium quantum abrepti, promiscue omnes grauissimis vocibus infamant. Neque enim tam quod intrinsecum eis est, quam quod vitio humanæ prauitatis adest plerumque & consequitur, respiciunt. Equidem cauendum sedulo, ne quid vsurarum nomine exigamus, quando nihil plane nostra interest. plus enim accipere, quam dederis, commutatiuæ iustitiæ aduersatur. Prouidendum deinde, ne plus æquo exigamus; monente Apostolo: *τὸ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πρῶτῳ ἐστὶ φέλημα τῷ θεῷ, ὃ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πρῶτῳ ματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ:* præterea, ne versantibus in *egestate fœneremur. Satius erit, vt denegemus iis pecuniam, quos nulla rerum necessitas ad mutuandum cogit; aut benigne largiamur, si nullum inde ad nos detrimentum redeat. Tandem obser-

x. Thesf. 4,
3. 56.

*Nysenus
Orat. con-
tra Vsur.
p. 226.

DISSERTATIO.

observandum, ne tanquam artem & modum parandi victum scœ-
 nus exerceamus. Hæc dum nefarie violantur præcepta, letalem
 noxam contrahi, necessum est. Peccat civilis etiam potestas,
 quoties aut in describendo publice vsurarum modo, modum non
 tenet; aut iuste legitimeque terminatum, audacter ac iniuriose,
 patitur excedi. Neque vacant culpa omni debitores; qui, col-
 lata in longum solutione, cumulant æs alienum vsuris; inque id
 exitii genus se ultro præcipitant, vnde emergendi deinceps spes
 nulla est super.

Laudamus sane illorum pietatem, qui omnes omni-
 no vsuras ex genere humano sublatas mallent: quum facilis
 hinc peccandi occasio avaritiæ mortalium aperiatur. Neque
 aliud sibi voluit æternum Numen, quam ut, prohibita inter He-
 bræos scœneratione, propioris cuiusdam necessitudinis ac bene-
 volentiæ officii eos constringeret. Egregius est in hoc argu-
 mento Flavius Iosephus IV. Originum: Δανείζειν δ' Ἑβραίων Ἰππὶ c. 8. p. 127.
 πόκοις ἐξέσω μηδενί, μήτε βρωτὸν, μήτε ποτὸν. ἔ γδ δίκαιον προσο-
 δάειν τὰς ὁμοφύλους τὰς τύχας, ἀλλὰ βοηθήσαντα ταῖς χρείαις
 αὐτῶν κέρδιον εἶναι νομίζουσιν τὴν τ' ἐκείνων εὐχαριστίαν, καὶ τὴν ἀμοι-
 βὴν τὴν ὡραία τῆ θεῷ γενησομένην Ἰππὶ τῇ χρησότητι. Οἱ ἢ λαβόντες
 εἴτε δαγύρια, εἴτε τινα τῶν καρπῶν ὕδατων ἢ ξηρῶν, καὶ νῦν αὐτοῖς
 τῶν ὡραία τῆ θεῷ χορηγησάντων, κομίζοντες μεθ' ἡδονῆς διποδιδότω-
 σαν τοῖς ὄμοισιν, ὡσπερ δῶρον δέχονται εἰς τὰ αὐτῶν, καὶ πάλιν, εἰ δεηθεῖεν,
 ἔχοντες. *Mutuum dare ad usuram Hebraorum nemini liceat, neque*
cibum, neque potum, neque enim iustum est, redditus captare ex fortu-
nis tribulium; sed præstat opem ferre illorum necessitatibus, & ad lu-
crum imputare eorum gratiarum actionem, & Dei retributionem, quæ
huiusmodi beneficentiam solet consequi. Qui vero acceperint mutua,
sive pecuniam, sive fructum aliquem aridum aut liquidum; ubi Deo
fauente fruges ipsorum ex sententia prouenerint, alacres restituant
eis, qui mutuauerunt quasi sua reponentes, & usuri denuo si opus fue-
*rit. * Apud Mohammedanos quoque sancitum legitur: Conces-*
sa esto negotiatio: at interdictæ usuræ modis omnibus. Idem Chri-
stianæ caritatis regula exigit. Si enim nulla compensationis spe
succurrendum egentibus; multo profecto magis sine usura.
 Sed † Luc. 6. 35.

* Hæc præcepta
 ad leg. Mo-
 hammed.
 Seldenus de
 I. N. & G.
 iuxta disc.
 Ebraeor. 6. 10

alla
 mi-
 in-
 am
 Inst.
 mi-
 an-
 ram
 le-
 ter
 arie
 bo-
 um
 ur,
 t.
 ciso
 no-
 atis
 bus
 ctu
 Et
 elo;
 vo-
 am
 re-
 mi-
 cci-
 en-
 o γδ
 éy-
 scœ-
 ul-
 lar-
 em
 fer-

Tac. Ann.
6, 16.
Liv. 7, 42.

p. 227.

Sed docuit rerum euentus, effectu caruisse consilia conatusque illorum, qui tollere penitus e republica vsuras voluere. Patris sui exemplo testatur Leo Imperator. Nou. 83. Olim quoque frustra Romæ vetita vsura. Neque priorum tantum seculorum maculæ sunt improbitas & circumscriptiones sceleratorum; sed nostra quoque tempora polluerunt. Inhæret enim hodieque medullis civitatum ac regnorum pessimum genus; cuius habitum vultumque seueris verborum coloribus oratione contra vsurarios Gregorius Nysenus depinxit. Locum ipsum, quando minus est obuius, huc transferre non pigebit. *Αργός καὶ ὁ πλεονεκτικὸς βίβη ὁ τὰ τοκίζοντες· σὺν οἷδεν πόνον γεωργίας, σὺν ὀπίνοια ἐμπορίας· ἐφ' ἐνὸς ἴ τοπὸν κάθηται τρέφων ὀπί τ' ἐσίας θηρία· ἀσπαρτα αὐτῷ βδέλεται τὰ πάντα καὶ ἀνήρητα φύεσθ' ἀργερον ἔχθ' τὸν κάλαμον· χῶρον, τὴν χάρτην· σπέρμα, τὸ μέλαν· ὑετὸν, χρόνον· ἀυξάνονται αὐτῷ λαμβανόντως τὴν τῶν χρημάτων ὀπικαρπία· δρέπανόν ὅτιν αὐτῷ ἢ ἀπαίτησις· ἄλων, ἢ οἰκία· ἐφ' ἧς λεπύνη τὰς τῶν θλιβομένων ὀσίας· τὰ πάντων ἴδια βλέψη. ἔυχεται τοῖς ἀνθρώποις ἀνάγκας καὶ συμφορὰς, ἵνα πρὸς αὐτὸν ἠναγκασμένως ἀπέλθωσιν· μισῶ τὸς ἑαυτοῖς δεκῶντας, καὶ τὸς μηδὲν δανειζομένους ἐχθρὸς ἠγεῖται· προσεδράκῃ τοῖς δικαστηρίοις, ἵνα ἔυρη τὸν σενδύμενον· τοῖς ἀπαιτητῶν καὶ τοῖς πρᾶκτορῶν ἀκολοθεῖ, ὡς ταῖς πρᾶταξέσι καὶ τοῖς πολέμοις οἱ γύπε· πρὸ φέρει τὸ βαλάντιον, καὶ δείκνυσι τοῖς πιυγομένοις τὴν θήρας δέλεαρ· ἵν' ἐκείνω δια τὴν χρεία πρὸ χήναιτες, συγκαταπίωσιν τὸ τόκον τὸ ἀγκιστρον· καθ' ἡμέραν ἀριθμεῖ τὸ κέρδιον· καὶ τὸ ὀπιθυμία, σὺν ἐμπύπλαται· ἀχθεται πρὸς τὸν χρυσὸν τὸν ὀπί τ' οἰκίας ἀποκείμενον, διότι κεῖται δεγὸς καὶ ἀπρᾶκτον· μιμῆται τὸς γεωργὸς τὸς δὲ τῶν σραῶν αἰεὶ σπέρματα αἰτῶντας, σὺν ἀνίησι τὸν ἀθλιὸν χρυσὸν, ἀλλ' ἐν χειρῶν εἰς χεῖρας μετὰ γῆ. βλέπει γὰρ τὸν πλάσιον καὶ πολὺ χρυσὸν πολλάκις μηδὲ ἐν νόμισμα ἔχοντα ὀπί τ' οἰκίας, ἀλλ' ἐν χάρταις τὰς ἐλπίδας, ἐν ὁμολογίαις τὴν ὑπόστασιν, μηδὲν ἔχοντα καὶ πάντα κατέχοντα. πρὸς τ' ἐναντίον τὸ δὲ ποσολικὸν γράμματῶν κεχρημένον τῷ βίῳ· πάντα δίδόντα τοῖς αἰτήουσιν· ὁ δὲ φιλάνθρωπον γνώμην, ἀλλὰ δια φυλάργωρον τρέπον· αἰρεῖται γὰρ τὴν πρᾶσκαερον πενία, ἵνα ὡς δὲ γλῶσσῳ ὀπίμοχθος ὁ χρυσὸς ἐργασάμενον, μὲ τῶν μισθῶν ἐπανέλθῃ. Hactenus Diuus Orator. Adiciã vero latina quo-*

DISSERTATIO.

quoque: non vt qui implere pagellas studeam; sed ne sit fortassis, qui aurem vellat: Græca hæc sunt, nec legi possunt, neque intelligi. *Segnis & insatiabilis est vita usurarii. nescit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, sed vno in loco confidens immanes domi sue feras nutrit. vult omnia sibi sine saturo & inarata progigni, cui quidem aratrum est calamus: ager, charta: semen, atramentum: pluuia, tempus: quod illi pecunia fructus occultis incrementis adauget & educat. Falx illi est repetitio: area, domus, in qua miserorum fortunas ventilat, & qua omnium sunt, propria sui ipsius videt. Imprecatur hominibus calamitates, vt coacti ad ipsum confugiant: odit, quibus res sue sufficiunt, & quos mutuum sub usura petere non conspicit, in hostium numero habet. Assidet curiæ & foro, vt inueniat, quem fors aduersa affligit. Exactores & procuratores suos semper sequitur, vt vultures castra & acies. Circumfert autem loculos, vt miseris escam ostendat: vt ei ob necessitatem inbiantes, deuorent simul usura hamum. Quotidie numerat lucrum, suamque cupiditatem minime explet. dolet ob argentum domi repositum, quod otiosum est & infructuosum. Imitatur colonos, qui ex aceruo frumenti semper semen petunt. Non relinquit miserandum aurum intactum, sed ex manu in manum transfert. Aspicias igitur opibus diuitiisque abundantem, saepe domi sue ne vnum quidem nummum habere, sed omnes spes eius in charta sitas, omnesque fortunas in pactis & conuentis; qui nihil habet, & omnia possidet. Contrario modo Apostolicis monitis vitam instituens, qui omnia largitur petentibus, non humanitatis, sed cupiditatis gratia. Eligit enim pauperiem ad nonnullum tempus, vt pecunia instar laboriosi serui operans, cum mercede ad ipsum reuertatur.*

Iam redeamus ad constitutionem nostram. Ait Imperator: *Super usurarum vero quantitate etiam generalem sanctionem facere necessarium esse duximus, veterem duram & grauissimam earum molem ad mediocritatem deducentes. Proponitur heic causa, quæ impulit Iustinianum, vt vniuerso usurarum generi modum scribe- ret. Illa fuit ingens ac intolerabilis earum magnitudo: vel quod incertus plane modus; vel quod grauis saltem ac durus. Accedebat licentia fceneratorum, praua *magistratus indulgentia*

**Procop. in
Aveud.*

quo

sque
atris
fru-
rum
sed
que
tum
rios
inus
uoc
uπo-
ae-
d r v
av-
πα-
τω
ποισ
ωσι
γεί-
αι-
τοίς
γο-
τογ-
©.
Πι
τα
ίνος
v r v
ixi-
nd ev
μα-
av-
de-
μ
tina
uo-

*Animadu.
ad Procop.
n. 103.*

quo impunitior, eo effrenatior. Vtrum autem in Iustinianū huius mali transferenda sit culpa, quod vult Procopius; probabile haut esse, dudum ostendit memorandus inter illustria Iureconsultorum nomina vir, *Ioannes Eichelius*, Patronus, & quondam Doctor meus longe colendisimus.

**2. Sent. 14.
ibiq. Cuiac.*

Olim quidem certus vsurarum modus partim ex regionis more *l. 1. pr. de vsur. l. 10. §. si procur. 3. mandat. l. 29. §. 1. de leg. 2.* partim communi iure definitus erat. Seruari enim lex contractus debebat vsq; ad *centesimā*: ultra quam, nisi in traiectionis pecuniis, ac speciebus fœnori datis (vti patescit ex lege nostra, & *l. 1. C. Tb. de vsur.*) in vsuris rei iudicatæ, *l. vn. C. Tb. de vsur. rei iud. l. 2. C. eod.* maiores nullæ permittebantur. *Paulus: *Vsuræ supra centesimam solutæ sortem minuunt, & consumptæ sorte repeti possunt.* Item: *Vsuræ, quæ centesimam excedunt, per errorem solutæ, repeti possunt.* Hinc dicuntur etiā grauissimæ *l. 7. §. 8. de adm. tut. maximæ. l. 38. de N. G. licitæ. l. 44. de vsuris.*

† Vid. Brisf. 3 antiqu. 1.

† *legitimæ. l. 4. §. 1. de Nautico fœnore. l. 1. C. de vsur. pup. l. 3. C. arb. tut. l. 8. C. si cert. pet. status modus vsurarū. l. 29. de vsuris.* modus legitimæ vsuræ *l. 7. de vsur.* Aliæ enim nullæ supra eas legitimæ erant. De Lucullo *Plutarchus tradit; eum non amplius centesima, fœnoris nomine, in Asiæ ciuitatibus exigi præcepisse. Cicero in edicto translatio; id est, vsitato, consueto, ex superiorū Prætorum edictis translato, se ait habuisse de centesimis obseruandis. Sed nondum satis publicæ rei censebatur prospectum. Equidem constitutionibus sacris alius modus vsurarum positus fuit: quod ex *l. 20. C. de vsuris.* & Aelio Lampridio videre est: qui de Alexandro; *Vsuras fœneratorum contraxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens. Senatores si fœnerarentur, vsuras accipere primo venit, nisi aliquid muneris causa acciperent: postea tamen iussit in semisses acciperent donum, munus tamen sustulit.* Verum hæc mutasse iterum, *l. vlt. C. de vsur. rei iud.* docet: in qua Iustinianus fatetur, se vsuras minores fecisse centesima.

** In vita Luculli.
Epist. ad Att. 5, 21.
vid. § 6. ad Att. 1.*

Atqui dignus singulari laude Imperator, qui prudentissima sanctione eum tandem modum introduxit, quo æquiores priora secula nondum acceperant. Nam priscis temporibus, & *LL. XII Tabularum* etiam, certa tantum summa usurarum statuta erat;

DISSERTATIO

17

erat: qua maiores quidem stipulari nemini licitum; permis-
sum vero omnibus sub una eademque quantitate pecuniam
occupare. At vero ut legitimum usurarum sit temperamentum,
personarum præcipue diligens ratio est habenda: quum alii ca-
rere facilius pecunia; alii non sine dispendio ac damno com-
modare petentibus possint. Qua in re, qua potissimum cautela
sit opus, adcuratissime exposuit, magnus, etsi cum maximis com-
paretur, Hugo Grotius. Verba eius hæc sunt: *Ad Luca*
Euang. 6, 35. *Ut sciatur, quan-*
tum recipi equitas permittat; non est spectandum, ut quidam censent,
quantum lucri faciat, qui pecuniam sumsit; sed quantum ei absit, qui
pecuniam alteri numeravit: sicut in emtione quoque & in aliis con-
tractibus nunquam aestimatio facienda est ex eo, quod intersit accipien-
tis, sed ex eo, quod absit danti. Abest autem tantum, quantum quin-
que pro vita sua genere ex pecunia compendifacere potest ac solet:
puta, ex agris, ex domibus, ex mercatura; detracta aestimatione peri-
culi, quod in aliis rebus maius, in aliis minus est: ita ut fieri inter mer-
catores solet in contractu auersi periculi, quem assecurationis vocant.
Quæ omnia quam vere consonent Constitutioni nostræ, ex se-
quentibus illius verbis fiet manifestum.

CAPVT III.

DE

CENTESIMIS
VSVRIS.

ARGVMENTVM.

Usura apud Græcos & Romanos menstrua. Exempla annui fœnoris.
Fœnus nauticum in omne tempus navigationis ac periculi promitte-
batur. Etiam in singulos dies vsuras stipulabantur. Exem-
pla mensuræ fœnoris. In centenario numero veteres subsistebant.
Datur ratio. Centesima. Nota eius sicilicon. Nominis explicatio.
Centesima est pars sortis centesima. Centesima hæreditatum. Cen-
tenarii. Centesimare. Εκατοστή. Centenaria vsura male dicitur.
Centesima fons ac caput reliquarum vsurarum. Quinquagesimæ
de vsuris non recte vsurpantur. Minores aut maiores centesimæ
vsuræ quomodo appellatae. Ad Assem Romani cuncta redigebant.
Ases vsuræ. Ratio hujus appellationis. Partes assis. applicantur
vsuris.

C

Vsuris. Explicatio legis 47. §. 4. de adm. tut. Schockii opinio confutatur. Vnciaria vsura; as vsurarius, male & sine exemplo veterum dicuntur. Quid Salmasius per centesimam vnciam sibi voluerit. Manutii error, quo alias assis partes menstruum; alias annum fœnus signare putavit. Centesima, ac partium eiusdem vocabula nostris temporibus accommodata.

Ait Imperator: Ideoq; iubemus illustribus quidem personis, siue eas præcedentibus, minime licere ultra tertiam partem centesimæ, vsurarum nomine in quocunque contractu, vili vel maximo stipulari. Prius quam de personis agamus, pertractanda heic erit quæstio, quidnam sit centesima; quidque illius partium nomine veniat. Nuper enim exorti sunt viri celeberrimi, I. FRIDERICVS GRONOVIVS, ingens criticorum decus; & MARTINVS SCHOCKIVS: qui ambiguum ac perdifficile argumentum magis magisque controuersum fecerunt. Nobis, si quod post vberimas summorum virorum menses spicilegium relictum est, dabitur hæc venia, vt per illorum vestigia vbique incedentes, procul amore, procul odio, propius rem omnem cognoscere allaboremus.

Romani quemadmodum alia multa, ita hoc quoque a Græcis acceperant, vt vsuras communiter non in annum; sed in singulos menses stipularentur. Communiter dico: neque enim annum fœnus plane ignotum fuit. Quantum ad Græcos quidem, luculenter Salmasius in opere, vt Seldeno audit, incomparabili, de Vsuris disputavit; τὸν ἀπὸ τῆς ἐξ ἑξ ἑξ, ἀπὸ τῆς ἐξ ἑξ ἑξ, ἐπὶ ἑξ ἑξ ἑξ, ἐπὶ ἑξ ἑξ ἑξ, vocatos ab eo, quod annum referebant. De Romanorum moribus nescio an loquatur Vlpianus XXIV. ad Sabinum, l. 3. §. vlt. de annuis legat. Si cui certa quantitas legetur, & quoad præstetur, in singulos annos certum aliquid, velut vsuras, iusserit testator præstari; legatum valet: sed in vsuris hætenus debet valere, quatenus modum probabilem vsurarum non excedit. Non placet Hotomanni explicatio: velut vsuras; quasi, tanquam vsuras. Iusserat enim testator præstari certum aliquid, quodcunque illud esset; positis exempli causa vsuris. Si quid vero hic insolens, ea fortassis ratione magis excusabitur; quod non speciem, sed genus respexerit testator: sub quo varia adhuc continentur quæ singu-

Seld. de I.

N. & G.

iuxta disc.

Ebr. 6, 10.

Salm. de M.

V. 1. & 2.

Epit. 22.

6.

DISSERTATIO.

singulis annis, quam mensibus, frequentius solent persolui. Meminerunt quoque annui fœnoris *Nov. 32, & 34.* In traiectione pecunia illud speciale fuit; quod vnam in omne tempus navigationis ac periculi summam pacisci liceret: vti de Atheniensibus testem habemus Demosthenem *περὶ Φορμίωνων.* Iustinianus *Novella 106.* refert consuetudinē, qua creditori in singulos solidos tres siliquæ præstabantur: non in diem certum; sed omnino, vsque dum salua rediret naus: siue rediret post annum, siue post mensem vnum vel duos. Verum id deinceps abrogatum fuit. Occurrit quoque *Cuiac. ad l. 4. §. 1. de naut. fœn.* exemplum de creditore, pro operis serui, traiectionis pecuniæ gratia debitorem sequuti, in singulos dies certam summam paciscente. Sed magis est, vt operarum & pœnæ quam fœnoris stipulationem illam dicamus. Ceterum non infrequens * *ἡμεροδραμισίων* natio fuit: vti ex Theophrasto in characterismo *ἀπονοίας*, atque ex Plauti Epidico licet addiscere. De menstruo fœnore eruditæ variorum commentationes copiose tractant. ** Exempla eius petere licebit ex Cicerone, *Horat. l. 40. de reb. cred. l. 26. depos. l. 41. §. vlt. de usur. l. 24. de const. pecun. l. 135. de V. O.*

Hisce vero vsuris sua singulis nomina Romani, pro modo earum & quantitate imponebant. Quod vt melius intelligamus, tenendum est; certum sibi terminum veteres in *centenario numero* defixisse: ad similitudinem Græci moris, quo, commodiore doctrinæ causa, quæuis summa sortis ad Minam, quæ centum drachmas valebat, redigebatur. Non illi minam quoque vt Græci constituebant; nam id genus nummi Romanis ignotum erat: sed centenarium numerum absolute, veluti terminum statuerant fixum immotumque, ad quem ceteræ sortis quantitates reuocarentur. Multis ea probatum ire, superfluens labor est. Quin hodieque idem nobis in more positum. Peruulgata enim passim est formula: *decem in centum*, vel, *pro centum dare*; *quinque, sex, octo.* Etiam vbi vsura intra annum sorti æquatur, *centum pro centum effici*, dicere consueuimus. Ea vero gratia in centenario antiqui procul dubio substiterunt, quod hic numerus communi omnium consensu finis, quodammodo esset ceterorum. ultra hunc,

præter millenarium, non inueniuntur noua nomina. Si quid residuum est, denuo ad priores numeros redeundum: quibus centenis istis adiectis, centum & vnum, tria, quatuordecim, triginta conficiemus; donec impleto iterum centenario, subsistendum, idemque numerus binis, ternis, aut pluribus vicibus repetitus, ducentorum, trecentorum, quadringentorum, vocabulis exprimens est. Rotunditas quoque numeri non parum momenti habet. Sic seculum centum annorum spatio olim circumscripserunt: sic Poëtæ sæpius centum pro incerta quantitate ponunt; vt Maro:

Georg. 3, 18.

Centum quadriugos agitabo ad flumina currus.

Simili plane modo certam vsuræ quantitatem definiuerant, a qua minores maioresue denominabantur. Erat hæc *centesima*: cuius nota sicilicon; id est, C auersum: totque ponebantur sicilici,

Vid. Salmaf.

de M. V. 8.

p. 309.

quot centesimæ conuenerant. Id propterea vero sic pingebatur; quod, cum C centum significaret, conuertebatur ad eam summam, cuius centesima futura erat: vt refert Volusius Mæcianus; cuius vitam singulari disertatione, magnificus atque nobilissimus Dn. Præses, excelsus Jurisprudentiæ vates atque antistes; Patronus & Doctor meus æternum deuenerandus, haut ita pridem exquisitissime pericripit.

Vid. Cuiac.

ad Nou. 32.

& Tholos.

Synt. 22, 3,

28. qui alias

duas expli-

cationes

recensent,

quarum neu-

tra potest

probari.

l. 3. tit. 7.

Nominis ipsius rationem multi sollicitè inuestigarunt. Hoc quidem indubitabile est, non eam hic intelligi, quæ respectu pensionis, siue ordine centesima est: quo sensu *lux centesima* a Cicero- ne vsurpatur. alias enim nullam omnino vsuram centesimam dicere possemus, nisi & mense centesimo solueretur. At vero sæpius videmus contingere, vt vel maturius sorte reddita, vsuræ consistant; vel non reddita, vltra tempus istud producantur, nihilo tamen secius centesimarum appellatione permanente. Pesime quoque Scholiastes apud Harmenopulū centesimam vocat, quid quid duodecim partes complectitur: ideo quod priscis temporibus, qui centum alicuius generis habebant, duodecim in commune conferebant. Hugo Donellus, quum de vsuris erudite, summaque facundia disputasset, *Relinquitur igitur, inquit, vt hoc solum quaerendum sit, quid sit centesima vsura. de qua re iam inter doctos viros omnes constare video, centesimam vsuram esse centesimam partem sortis in singulos men-*

ses.

DISSERTATIO.

ses: ut ita dicta videatur, quod ad sortem relata, centesima sit por-
tio sortis. Alii hoc modo, centesimam usuram esse definiunt, quæ centesi-
mo mense aequat sortem; quod eodem redit. ut puta, in centum aureos
in singulos menses unus aureus; id est, centesima pars, usura centesima
est: eadem centesimo mense aequat sortem. Poterant vltima hæc de
fortis æquatione rectius omitti. Si enim centesima eo significatu
accipietur; binæ, ternæ centesima erunt, quæ ducentesimis, tre-
centesimis demum kalendis credito adæquantur: quod ratio-
ni omni prorsus repugnat. nam hæ sic appellantur, quoties sum-
ma centesimæ altero tanto, aut triplo sunt maiores: adeoque
non seculis demum; sed quinquaginta, aut trium & triginta men-
sium spatio sortis quantitatem explebunt. Verissima omnino
prior sententia est, de parte sortis centesima intelligenda:
quod aliis quamplurimis exemplis potest demonstrari. Vte-
nim veteres *quadragesimas ferarum, vice simam, item centesimam hæ-*
reditatum (vnde *centenarii*, qui eam exigebant) pro partibus fe-
rarum quadragesimis, & sic porro dixerunt; ita *centesimam quo-*
que, eadem ipsos significatione pro tali parte, non quidem usura-
rum, sed totius crediti, posuisse verisimile est. Præterea, quum
ad publicorum vectigalium modum, concepissent nomen fru-
ctus pecuniæ privatæ; quis dubitet eodẽ more & *centesimam* fuis-
se acceptam? De vectigali Cicero epistola XVIII ad Brutum: *Ob-*
durescunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi: quod ex cen-
tesima collatum impudenti censu locupletium in duarum legionum præ-
miis omne consumitur. Hoc idem alibi explicat: *ager vectigalis popu-*
lo Romano ex parte decima. Proxime ad institutum nostrum accede-
re quoque videtur *Centesimare*, proprium Opilii Macrini verbum:
qui si quando benignius cum seditiosis agere vellet; *centesimare*
solebat, qui digni *decimatione*, atque *vice simatione* fuissent; hoc est,
vt decimus quisq; ac vice simus eorum capite plecteretur. Centesi-
mam igitur usuram, vel centesimas usuras, non vt substantiuũ cum
adiectiuo; sed instar duorum adiectiuorum, κατ' ἐπεξήγησιν com-
mode explicabis: *centesimam sortis partem usuram*, vel *centesimas*
partes sortis usuras; id est, usurarum vel commodi nomine ductas
aut statutas. Huic centesimæ Græcorum ἐκατοστή, vti Plutarchus

bid. etiam
Budeum de
Asse. p. 33.

Turneb.
Adu. 29, 16.

Gronou. de
Sestert. 3, 13.

Capitol. in
Opil. Ma-
crino.

Gron. de
Sest. d. 4.

Salmaf. de
M. V. 6.
Gron. d. l.
498.

vid. Gron.
de Sest. 1, 3.
p. 37.

in Lucullo appellat, respondet: cuius vocis origo ad Romanos; quam hos potius est referenda; quum apud eos tantum, qui sub Romano imperio scripsere, reperiatur. Veteres Attici *τόκον Ἰπὶ δραχμῆν* vocabant; item *Ἰπὶ δραχμῆν δανείζεσθαι*; aut plene, *Ἰπὶ δραχμῆν δανείσασθαι τὴν μνᾶν*. Fallitur autem Scaliger, qui *centenariā* usuram eandem cum nostra esse autumat. Centenarium enim certi ponderis aut numeri corpus denotat. sic centenarius lapis, pondus est centum librarum; grex centenarius, grex centum pecudum. Et quamvis *centenaria* pro usura centum nummorum uti velis; nescio tamen, an eius locutionis exemplum apud bonos auctores occurrat.

Positum iam in aperto erit, centesimam a parte sortis centesima; quemadmodum *drachmalis* apud Græcos a *drachma*, sibi nomen inuenisse. Faciet igitur in centum denarios, singulos menstruos; annuos vero duodecim: non quod sua natura, & directo duodecim in centum significet; sed quia quot mensibus renouata, duodecies quotannis præstatur. Hanc veluti fontem statuerunt ac caput, vnde omnia, maiora minoraque iuxta usurarum vocabula, tanquam riuuli emanarent. Neque facile in fœneraticia pecunia aliud inuenietur verbum, quod sua vi, nullo ad centesimam respectu habito, certam usuræ quantitatem designet. Est, qui *quingagesimas* in medium profert: sed is sine exemplo veterum loquitur; & pessime verbum hoc interpretatur. Lego quidem apud Ciceronem *ternas quingagesimas frumenti, tres quingagesimas*: at vero de vectigalibus intelligendæ sunt: quemadmodum Græcorum verbum *πεντηκοστή*, scilicet *μοῖρα*, certum vectigalis genus designat; quod qui publicanus Athenis exercebat, *πεντηκοσολόγος* vocabatur. Deinde minus adcurate *quingagesimas* esse affirmat, quando sena tantum pro centenis annuatim persoluuntur; cum quatuor potius ac viginti dicere debuisset. Centenarii namque numeri (qui fixus usurariæ sortis terminus manet) in quinquaginta partes diuisi, pars quingagesima duos in usuram menstruos dabit: qui latinis *bina centesima*, quoniā pars centesima bis singulis mensibus potest exigi, appellatur. Quoties igitur plures centesima usuræ; siue alterum, tertium quartum tantum

vid. Gron.
de Sest. 3, 13.

tantum petebatur; multiplicabant centesimarum nomina: *binas, ternas, quaternas centesimas*, ut Græci τὸν οὐδὲν ἑξήκοντα, τετρακοσιοί, τετρακοσιοί, pronunciantes. Cicero: *binis centesimis fœneratus est. in Verr. 3.* Et ad Atticum: *Nam aut bono nomine centesimis contentus. Ep. 21.* erat, aut non bono quaternas centesimas sperabat. Quod si minus centesima in stipulationem venerat; verbi causa, ut ex centum denariis, dimidia aut tertia denarii pars quot mensibus penderetur; non *ducentesimam, trecentesimam* dicebant; sed alio prorsus more, quum assiduo patrumfamilias usu frequentari centesimæ nomen cœpisset, in suas eam partes diuidebant: quibus deinceps usuræ minores significabantur.

Solebant autem veteres Romani, quoties totum aliquod ^{Budæus de Asse. p. 5.} partiri vellent, ad *assem* id redigere: qui duodecim partibus constabat; quarum singulæ, *uncia*; plures coniunctæ ad *assem* usque suis nominibus appellabantur. *S. 5. Inst. de hered. inst.* Balbus ad Celsum de asse, minutisque eius portiunculis: *Quidquid unum est, & quod ex integrorum diuisione remanet, assem ratiocinatores vocant. Quotquot ergo de integra diuisione singulares res unitatesue remanebunt, totidem asses erunt: si unitas una remanebit, unus erit assis, asue; si duæ, duo; si plures, plures erunt asses.* Volusius Mæcianus: *Sicut assis appellatio ad rerum solidarum hereditatisque totius, diuisio autem eius ad partium demonstrationem pertinet: ita & ad pecuniam numeratam refertur: quæ olim in ære erat, postea & in argento feri cœpit, ita ut omnis nummus argenteus ex nummo æris potestatem haberet.* Hac ratione centesimam quoque per *assem* partiebantur: quem non tanquam nummum; sed tanquam commune instrumentum omnis integri, quod vel constat, vel secari commode duodecim partibus potest, diuidendi considerabant. Quantum igitur ab asse suæ partes, tantum & contractiores usuræ a centesima distant, iisdemque assis partibus vocitantur. Neque improbable est, centesimas ipsas *assium usurarum* vocabulo fuisse notatas. De quo ὁ πᾶν Gronouius, ut & de ratione appellationis. *Nunc autem, inquit, & usuras asses dictas, & summas cum ratione dictas, & in ore vulgi non infrequentiores, quam alias fuisse, & ab usuris assibus fluxisse ceteras, certum habeo. Unde igitur usuræ* ^{De centes. & unciis & usuris Art. 2. νόμος II. contra Mart. Schook p. 111}

vsuræ asses nomen acceperunt? Verbo dicam, quod adhuc neminem
 statuisse vidi, sed verisimum est: ex eo, quod as & libra eadem res
 erat, quum hæc vocabula sunt inuenta, & eodem pondere fuerunt
 usque ad bellum Punicum secundum, quum ob ararii inopiam & vlti-
 mas reipublicæ necessitates, Q. Fabio maximo dictatore, as ex librâ
 factus est sextantarius. Quemadmodum autem centesimis minores
 usuræ dictæ sunt deunces, dextantes, dodrantes, beses, septunces,
 semisfes, quincunces, trientes, quadrantes, sextantes, vnciæ,
 semunciæ, quia centesima & libra eadem res erat, nec pecuniam
 aliam, quam libras aeris habebant, & si centesimam diuidere vellent,
 non poterant aliis vocabulis vti, quam partium libra: ita & vsuras
 centesimas dixerunt vsuras asses, quia qui centesimas vsuras promise-
 rat, menstruos dabat asses in centenos asses, vel menstruas libras in
 centenâs libras. Vna erat differentia inter assem & libram ex insti-
 tuto Seruii Tullii, quod as signatus habebatur cum partibus suis, ne
 molestia appendendi moram commerciis faceret; libra dicebatur et-
 iam de non signato ære: in cetera pondus idem, eadem materia, ea-
 dem partitio assis & libra fuit: sed inualuit, ut potius dicerent vsuras
 asses, quam vsuras libras, quia in signato & pecunia huius nuncupa-
 tionis vsus erat. Merebor veniam, si quæ porro vir summus ad-
 didit, descripsero. Hæc vera sunt, adhuc ab omnibus frustra
 quesita, vsurarum assium incunabula: hoc initium vsurarum mo-
 dum asse definiendi: quod non nisi asses forent, quibus ut plurimum
 ibant in creditum, quibus emebant, vendebant, pretia rerum omnium
 aestimabant. Id binc porrexerunt ad minores vsurarum numeros, quia
 asses isti, perinde ut centesima, nihil differebant a libris aris, nisi quod
 signum impressum haberent: & sic commodius aut omnino aliter diuidi
 non poterant, quam partibus libra. Hæc Gronouius. Partes vero assis
 illæ sunt. Deunx vndecim vnciis; dextans, seu decunx, decem; do-
 drans, nouem; bes, vel besis, octo; septunx, septem; semis, vel
 semisfis, sex; quincunx, quinque; triens, quatuor; quadrans, tri-
 bus; sextans, duabus vnciis constabant. Vltima pars, vncia nomi-
 natur. Sic enim Balbus: Cuiuslibet integra rei in duodecim par-
 tes diuisa, semper duodecima pars vncia dicitur. Hæc diuiditur
 in semunciam, quæ est medietas vnciæ; duellam, quæ tertia; si-
 cilicum

silicium, quæ quarta; *sextulam*, quæ sexta; *drachmam*, quæ octa-
ua; *hemiseclam*, quæ duodecima; *tremissem* quæ sexta decima;
scrupulum, quæ quarta & vigesima vnciæ pars est. Sed minores
semunciis vsuræ non occurrunt.

Diuisa igitur in duodecim vncias centesima, quotiescun-
que non integræ, sed vndecim tantum; verbi gratia, in centum
denarios singulis pensionibus non denarius, siue XVI asces, ve-
rum tantummodo quatuordecim asces, duo trientes conuene-
rant; *deunx* centesimæ, vel *deunces vsuræ* præstari dicebantur.
Pari modo si decem vnciæ, siue decem denarii partes; hoc est, XIII
asces triens soluebantur; *dextans* centesimæ, seu *dextantes vsuræ*
erant: si nouem vnciæ, siue XII asces; *dodrans* centesimæ appel-
labantur. Eadem ratio reliquarum partium. *Bessis vsuræ*, quæ
decem asces duos trientes in triginta diebus sorti addit, mentio-
nem facit constitutio nostra, & Cicero ad Atticum: *Fœnus ex* IV. epist. 14.
triente Idibus Quinctilibus factum erat bessibus. Semises vsuræ, * si- * *vid. l. 162.*
ue victoriatus, ** vel duo sestertii sunt, quæ in lege nostra † *di-* † *de so-*
midia pars centesima, & l. vlt. C. Tb. de vsur. *medietas centesi-* † *lut. l. 17. pr.*
ma vocantur. Eadem a leuioribus vsuris ab Vlpiano l. si legat. ** *vid. Vo-*
§. 5. de oper. publ. distinguuntur. Erant vero solemnes ciuitatum † *lus. in Dis-*
vsuræ. * vnde Modestinus etiam l. septicia. 10. de pollicit. τὸν ἕξ ἔσθ' † *add. l. 6lt.*
τὸ xov interpretatur, *semisales vsuras. Quincunces* dicuntur, C. de Fisc.
cum quinta centesimæ pars; id est, sex asces duo trientes in cen- † *de vsur.*
tum denarios quot mensibus exiguntur. De his videri possunt l. 17. * *Cuiac. ad*
de vsuris. l. 15, 16. §. 2. de alim. & cib. leg. l. 7. §. 10. de adm. & per. † *Nou. 7.*
tut. Persio modesta audiunt: *decunces* autem e contrario *auida*. Sat. 5, 149.
Trientes vsuræ ab Imperatore in præsentī constitutione per ter-
tiam centesima partem signantur. Quinque enim asces trientem
quot mensibus sorti adiiciunt. Itidem l. 17. §. vlt. de vsuris legi-
tur: *vsque ad tertiam centesima*: quæ verba a Triboniani manu,
& Græcorum more ἀχρηστῆς ἑκατοσῆς dicta esse, Cuiacius af- † *Obs. 38.*
firmat. Mentionem harum vsurarum Papinianus quoque l. 26.
§. 1. quand. dies leg. Paulus. l. 3. §. 2. ad L. Falcid. Vlpianus l. 7. §. 10.
de adm. & per. tut. faciunt. Atque illæ ipsæ sunt fortassis, quas Afri-
canus

D

canus l. 108. §. ult. de leg. & fideic. i. leuiiores vocat: nam l. 5. de oper. publ. leuiiores dicuntur, quæ Paulo d. l. 17. §. ult. de usur. trientes sunt. Itidem trientarium fœnus de eo usurpatur, quod trientes vsuras parit. Hoc Antoninus Pius & Alexander exercuisse feruntur. Sequitur quadrans centesimæ, seu quadrantes vsura, quum quarta denarii pars; id est, quatuor asses, vel sestertius penditur: de quibus l. 21. §. 4. de ann. legat. l. 12. C. de pet. hered. Vncia & semuncia centesimæ, siue vncia semuncia vsurae sunt leuisimæ: quarum illæ duodecimam denarii partem, puta assem cum triente; hæ duodecimæ dimidiam, duos nempe trientes efficiunt.

Luculentum earum exemplum offert Scæuola II. Responso-
 rum l. 47. §. 4. de adm. & per. tut. Præfectus legionis ita testamento
 eadem lo-
 quendi for-
 mula & titur
 Iustinianus
 in nostra
 constit. cui
 adde l. 26.
 depositi.
 Gron. legit.
 præstaturus.
 cavit: Volo vt sit in arbitrio tutorum filii mei, si voluerint hu-
 ius summæ vncias inferre vsurarum* nomine, ita, ne num-
 mi dispergantur. quæro, si apparuerit pecunia fœnerata tutoribus,
 iudicio tutela vncias vsuras, an vero eas, quas stipulati sunt, præstare
 debeant? Respondi, si secundum voluntatem defuncti elegerint vsu-
 rarum præstationem, neque pupilli nomine in fœnus dedissent: id
 præstatur, quod testator voluisset. Nollem locum hunc attigisset
 Schoockius: fecit enim intelligendo, vt aut intelligere parum,
 aut insigniter calumniari videatur. Quid expeditius isto sensu?
 Præfectus legionis reliquit testamentum: in eo cavit se libero tu-
 torum arbitrio permittere, vtrum ipsi sub vsuris accipere pecu-
 niam vellent, an vero extraneis fœnori dare. Sed minus peri-
 culi suberat, si nummi non dispergerentur; hoc est, si apud tu-
 tores permanerent. Quo igitur facilius adducerentur eo, vncias
 tantum vsuras, illas scilicet leuisimas, inferri testator vsurarum
 nomine iussit. Occuparunt tutores pecuniam; vsuris multo
 maioribus in stipulationem deductis. hasce sibi pupillus; tu-
 tores vncias tantum deberi affirmant. Agitur tutelæ iudicio.
 Lite vtrunque agitata IC. respondit; Aut secundum voluntatem
 defuncti ipsi tutores suo nomine elegerunt vsurarum præstatio-
 nem, pecunia deinde pro lubitu fœnerata; aut pupilli nomine
 in fœnus nummos dederunt. Si prius; standum testatoris vo-

lun-

DISSERTATIO 27

luntati, neque plus vnciis vsuris soluere tutores tenentur: fin hoc; equidem pro pupilli causa erit sentiendum: quum naturæ iure æquum sit, neminem cum detrimento alterius & iniuria fieri locupletiozem. Atqui illa vera Scæuolæ mens est. nihil hic inepti, nihil coactum. Fac autem, per vncias vsuras intelligi centesimas debere: quotusquisque in beneficii loco ponet, quæ maximæ, quæ grauissimæ ciuili iure habentur? Et erat tamen destinatum defuncto, vt tutoribus ipsis leuiori fœnore obstrictis, dispersu nummorum de sorte filius in periculum ne veniret. Ponamus iterum cum Schoockio, centesimas signari. Quænam vero illæ maiores, quas stipulati tutores fuerant? Maiores enim vnciis vsuras in contractum venisse, hinc discimus; quod tutores mutuo sumere pupillarem pecuniam, quam extraneis deinde crediderunt. Atque potissima ex eo causa disceptandi, vtrum vncias vsuras, an vero quas stipulati erant, præstare deberent: quum alio pacto quæri de vnciis non potuisset. Quis autem adeo absurdos tutores putet, vt pecuniam grauissimis vsuris mutuam, minore fœnore collocarent? Verum enim vero centesimas olim terminum vsurarum leges statuerant: vltra quas quidquid conuenerat, in sortem imputabatur. nostras autem improbasse iudices, nusquam apparet. Igitur aut centesimæ, aut centesimis inferiores in conuentione deductæ fuerunt. quidquid vero contenderis, nunquã cum vnciis vsuris eas licebit confundere, quum vnciis sint maiores. vnde conficietur tandem, vncias vsuras, nisi eo, quo explicauimus, sensu, pessime describi.

Eadem nobis lex quoque suggerit, male quosdam *unciariam vsuram, assem vsurarium* vsurpare: quemadmodum ex aduerso recte dicitur *fœnus unciarium, semunciarium*. Fœnus enim est, quod vncias, semuncias vsuras efficit: at vsuræ neque asses pariunt, neque vncias, quum sint ipsi asses, ipsæ vnciæ. As respondet centesimæ: ac perinde est, siue *assem*, siue *centesimam vsuram*; hoc est, centesimam fortis partem vsuram pronuncies. Sic *dextantes, beses, semises, trientes vncia*, valent tot centesimæ partes vsuras, siue vsurarum nomine accedentes vel condictas. Præterea, hoc



vid. de M. V. 6. p. 230. etiam perspicuum fiet, diuerso longe sensu a Claudio Salmasio *unciam* adhiberi, quando illam sub *centesima* vult comprehendere. *Quid si igitur*, inquit, *Latini veteres*, quum *centesimam* dixere, non ad *vsuram*, sed *unciam* respexerunt, quia *centesima* vnoia *menstruam* *vsuræ nomine soluta*, *centesimam vsuram* efficit? At sic potius esset dicenda *centesima* (scil. *vnciæ*) *vsura*, quam *centesima*. Hæc vero haut

vid. §. 5. inf. Inst. de hered. inst. obscure innuunt, talem heic *unciam* denotari, quæ ex sorte in centum *vncias* distributa, *centesima* singulis pensionibus exigitur. Paulus Manutius nescio quo subtilitatis studio in nouum

Man. ad Ep. Cic. 5, 6. Aliter Manutium explicat Gronouius. errorem delapsus est. Didicerat scilicet *assem*, vt cum eo loquar, *vsurarium*, vulgo definiri: qui duodecim in centum; *deuncem*, qui vndecim; *dextantem*, qui decem; *dodrantem*, qui nouem; *trientem*, qui quatuor; *vnciam*, siue potius ex ipsius mente, *vnciarum vsuram*, quæ vnum annua die progigneret. Hæc parum conuenire videbantur. quis enim, si *vnciam* tantummodo quotannis acciperet, tantulo quæstu occupare pecuniam vellet? Existimandum igitur, *vncias vsuras* non annuas, sed *menstruas* esse. Et quoniam *centesima* vnum quoque ex centum denariis efficit, eadem perinde intuitu *menstrui* sic dicetur: atque hoc pacto *vnciæ*, ac *centesimæ vsuræ*, vocabulo differentes, re ipsa congruent. Sed vero *deunces*, *dextantes*, *dodrantes*, *beses vsuræ*, quæ vndecim, decem, nouem, octo in centum faciunt; a *menstruo* vt sibi nomen inuenerint, incredibile est. quis etenim tanta rei familiaris iactura scenebrem pecuniam acciperet? Itaque annuæ erunt: & ea ratione *asfis partes aliæ menstruum*, *aliæ annum fœnus* dabunt. Simili plane modo Salmasius Athenis quasdam *vsurarum annuas*, quasdam *menstruas* fuisse, ex earum quantitate vere ac eruditissime demonstrat. Manutio nemo forsitan accedet: vt quem *vnciarum* & *semunciarum* vilitas; itemque illorum error decepit, qui similitudine duodecim mensium, quibus annus constat, ac totidem partium *asfis ducti*, *assem annum* confinxerunt. Non diffitemur vero, & nostris rebus commodari Romanorum vocabula posse; si quod ex *menstrui æstimatione* apud Romanos valebat, nobis *directo annum* significet. Sic *centesima* duodecim in centum; *deunces centesimarum vsuræ*, vnde-

De M. V. 2.

DISSERTATIO

Undecim; dextantes centesimarum usura, decem; dodrantes centesimarum usura, nouem in centum, & reliquæ partes suas quæque usuras denotabunt: vti prolixius ó πάλιν Gronouius explicauit.

Ann. I. contra Schoock. p. 77.

CAPVT IV.

DE

F O E N O R E V N C I A R I O .

ARGVMENTVM.

Schoockii de Vnciaro fœnore sententia. De Schoockio iudicium. Status controuersie. Argumenta pro Schoockio. Paupertas populi Romani tempore XII Tabularum. Vnciarium fœnus synecdochice dictum. As annuus. Plinii locus de duodenis assibus. Schoockii rationes expenduntur & confutantur. Ante Decemuirorum tempora Romani mercaturam & nauigationes exercebant. Impotentia fœneratorum, & plebs obarata nimis, causam legi de Vnciaro fœnore dederunt. Ratio, cur Vnciarium fœnus adhuc molestum debitoribus fuerit. Nullus in vocabulo Vncia tropus agnoscitur. As annuus negatur. ALL. XII Tabul. sequens auum sepius longissime recessit. Jus vetus, antiquum non semper XII Tab. signat. Descenditur ad Gronouii sententiam. Nouum argumentum contra Schoockium.

DE centesimis hætenus satis dictum habebō. Nondū vero defuncti sumus: expedienda enim in præsentī controuersia est, quæ laudatos supra viros, doctrina fama; ingentes, infestissime inter se commisit. Locum & occasionem disceptationi Tacitus atque Liuius aperuerunt: qui lege XII Tabularum, & tribunicia rogatione, sanctum fuisse tradunt, ne quis vnciaro fœnore amplius exerceret. Hoc vnciarium fœnus paria cum centesima facere Martinus Schoockius contendit: argumentis illis quidem non plane spernendis; infirmioribus tamen, quam vt Gronouium in alia omnia abeuntem infringant. Schoockius sua se obscuritate haut raro inuoluens, a sensibus, quam verbis melioribus; ab vbertate ingenii, quam iudicii rectitudine, dilaudari magis meretur.

retur. Parum sibi interdum quoque videtur constare. Ut præteream perpetuum cauillandi studium, in quo delicias quæsiuit maxime & exultauit. Neque illud inultum abstulit; haut perfunctorie castigatus ab aduersario: cui tanto pronior victoria fuit, quod in locis sibi opportunis & exploratis, Schoockio alienissimis inuaderetur. Non repetam prolixè, quæ de vnciiis vsuris præcedenti capite disputauimus. quam enim nihil auxilii in l. 47. §. 4. de adm. tut. inueniat Schoockius; neminem tam arbitrator cæcutire, quin sponte sua perspiciat. Illud fixum ac sine dubitatione erit: vncias, quemadmodum duodecimam assis partem constituunt; ita centesimis quoque aptatas, non posse non idem valere, si indolem vocabuli atque analogiam spectaueris. Veteres etiam eo sensu vsurpasse hanc vocem, Scæuolæ responso defendimus. Hæc igitur nobis reliqua quæstio est: vtrum Tacitus, & cum eo Liuius (qui soli ex antiquitate omni vnciarii & semunciarii fœnoris, priscis temporibus præfiniti, mentionem intulerunt) de centesima vsura; vtrum vero de duodecima eiusdem parte sint loquuti. Apud Tacitum hæc leguntur: *Sane vetus vrbi fœnebre malum, & seditionum discordiarumque creberrima causa: eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis sanctum, ne quis vnciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium ageretur: dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta: postremo vetita versura. multisque plebis citis obuiam itum fraudibus, quæ totiens repressa, miras per artes rursus oriebantur.* Patavinus scriptor VII historiæ ista literis mandauit: *Haut æque patribus lata insequenti anno C. Martio, Cn. Manlio Cosf. de vnciario fœnore a M. Duellio, L. Menenio, tribunis plebis rogatio est perlata: & plebs aliquanto eam cupidius sciuit accepitque.* Et paulo infra: *Idem otium domi forisque mansit T. Manlio Tor. C. Plautia secundum Cosf. semunciarium tantum ex vnciario fœnus factum.* Cura nunc erit, si qua ad verum via inquirentem ferat, dispicere.

Ann. 6, 16.

Enimvero, vt hinc ordiamur, simile veri haut videtur, adeo extenuatas ea tempestate incisasque legibus vsuras fuisse, vt duodecim

DISSERTATIO.

decimam demum; & quod excedit fidem, vix quartā ac vigesimam centesimæ partē licuerit stipulari. Maiores namq; & debuisse concedi; & concessas fuisse publice, multis firmari argumentis potest. Neminem sane latet XII Tabularū tempore, quum breuibus Italiae terminis Romani adhuc cluderentur, iis diuitiarum opumq; copiis nondum urbem redundasse; quibus deinde sub iuuenta imperii, & robusta quadam sui maturitate, præpollebat. Plerique ciuium aut nullo, aut perquam paruo aere censebantur. Testes Poplicola Valerius; Menenius; Fabricius; Papus; Curius. Nec vlla vnquam, affirmante Livio, exstitit respublica, vbi tantus ac tamdiu paupertati ac parsimoniae honos fuerit. Ex superius vero dictis constabit, potissimam semper creditoris rationem esse habendam: vt tantum exigere vsurarum nomine iure meritoque possit; quantum ei decedere commodi ex pecunia mutuo data censetur. Tenues homines atque egentes, carere difficilius bonis, vnde alimur præcipue ac sustinemur, confessa res est. quantumcunque enim suppeditauerint aliorum necessitati, suæ detrahent. Locupletes contra, quibusque opes effuse affluunt, nullo rei familiaris intertrimento aliquam fortunarum portionem rogantibus communicabunt. Qui vero inopis creditoris sarcietur damnum, quoties non amplius duodecima; aut vigesima etiam quarta centesimæ parte, concessum fuerit stipulari? Quam pulcre hæc sequenti æuo conuenient, quo centesimas vsuras passim obtinuisse docuimus? Et immensam tamen copiarum vim, tot diuitissimarum gentium victor populus tum congeserat. Iniquitatis igitur deferendi legumlatores: aut longe sibi alia XII Tabulas voluisse, affirmandum est. Atque huc ibat procul dubio Schoockius, quum scriberet: *Apud omnes sane mentis homines in confesso esse; in ea republica, que subditos habet pauperes, & aris indigos, vsuras esse grandiores, quam vbi subditi opibus & pecunia abundant.* Declinauit Gronouius alio; pluribus ostendens, sub republica fortunata & potente, nimias partim mutuaciones; partim conditiones iniquissimas, non legum; sed seculi, corruptorumque morum vitio, fœnus immodicum reddidisse. Quantum vero heic discriminis est? Illic

Val. Max. 4, 4. Sid. & 5. 7. Inst. de Iniuriis.

quari-

præ
fuit
per
fuit,
nisfi
suris
ii in
urbi
ine,
asfis
osse
aue
e re
est:
omni
niti,
duo
gun
rum
inuo
quis
letia
a:
udi
ata
eque
ocia
erla
ulo
ucia
m.
pice
deo
uo
cim

quæritur: *Vtrum magistratus, respectu eiusdem crediti, ciuibus rei nummaria difficultate pressis, maiores quam locupletibus indulgere vsuras debeant?* Hic disceptatur: *Vtrum plura & grandiora debita occurrere; vtrum sub grauioribus vsuris, non quidem ex præscripto legis; verum ex sola sua libidine, creditores in opulenta ciuitate soleant fœnerari?* Quod vt negari haut potest; ita prior quæstio vix in dubium videtur vocanda. Præterea vero magistratus, si prudens, si amans reipublicæ gestit audire; eo incumbet sedulo, vt vniuersi ac singuli ciuium, in operas mutuas & opitulationes prompti inueniantur. Quotusquisque vero partas labore vel periculo opes, aliis vtendas consumendasque tradat; extra omnem fere spem emolumenti positus? Et quantillum vsuræ futurum erat, si quinquaginta aut viginti denarii in fœnus dati? Profecto equidem honestior quisque erubisset, quot mensibus id exigere. Porro autem, quid causæ plebi, vt restitutam a tribunis de vnciaro fœnore legem, aliquanto tantum cupidius patribus scisceret acciperetque? Nempe enim adhuc molestum debitoribus hoc fœnus erat: aliquanto tamen leuius ac gratius præ illo, quo ab auaris creditoribus, procul habita & abolita minutatim XII Tabularum sanctione, trucidabantur. Neque apparet ratio, cur T. Manlio Tor. C. Plautio secundum Cos. semunciarium fœnus ex vnciaro fecerint; si hoc duodecimam centesimæ denotabat. Jam tum enim leuissima erat hæc vsura: quam improbare & accusare iniquitatis, vel egentissimus ciuium non poterat: nedum vt tot grauissimæ turbæ ac seditiones ea re conflarentur. Fac autem alias, easque maiores vsuras per vnciarium fœnus signari; & locus dubitandi nullus erit relictus. Nunc inquirendum, quænam illæ fuerint. Enimvero haut occurrent commodiores centesimis: neque alius hic latebit tropus, quam synecdoche; quæ aut totum pro parte, aut partem pro toto ponit. Posset fortassis alia quoque ratio afferri, cur vnciarium fœnus centesimam significet. Certum est, vsuras quot mensibus exigi solitas; & annum, iam a Numa Pompilio, in duodecim menses descriptum fuisse. Consequabatur igitur, vt singulis annis vsuræ duodecies præstarentur. Hæ duodecimæ

*Sid. loc. Li-
uii citat.*

DISSERTATIO.

dene, verbi gratia, centesimæ assem conficiebant; cuius duodecima pars *uncia* vocabulo appellata, vna centesima erat. Plinius quoque in epistolis, argumentandi copiam nobis suggerit, non plane insuetum Romanis fuisse, ut menstruas vsurarum pensiones, quantum annuatim efficiunt, confociatas eloquerentur. Sic enim ad Traianum scribit: *Pecunia publica, Domine, prudentia tua & ministerio nostro etiam exacta sunt & exiguntur: qua vereor ne otiosa iaceant. nam & pradiorum comparandorum aut nulla, aut rarissima occasio est: nec inveniuntur, qui velint debere, Reipublice præsertim, duodenis assibus, quanti a priuatis mutuantur.* Hisce porro assis nomen Romanos imposuisse, id indicio est; quod res omnes, quæ numero, pondere, mensura continebantur, vbi commodum erat, asses facerent, & per quadrantes, beses, trientes, uncias, diuiderent. Solam vero *unciam & semunciam* respectu annui assis, neque beses etiam, semisses, trientes, deunces & sic porro dicebant; ne confusio forte oriretur; & quia vltra centesimam vsuræ nullæ permittebantur. Hinc communiter per nomina illa inferiores centesima; hoc est, menstrui assis, intelligebantur partes, neque de aliis maioribus ius reddebatur. Satis hæc, credo, explanauimus, quæ Schoockius tenebricosis verborum ambagibus inuoluit. Ceterum istam de centesima coniecturam hoc confirmat; quod communiter olim, vti dictum, tanquam finis ac terminus vsurarum erat præfinita. Quis autem credat legislatores immoderate adeo a XII. Tabulis, quas in animo & oculis habere perpetuo decebat, recessuros fuisse, si duodecimam tantum centesimæ partem decemviri permisissent? Quid? quod ipse Iustinianus haut perplexe præsentis Constitutione per *veteres leges, XII. Tabulas* videtur indicare? Plura non moueo. nam hæc quidem pro asserenda Schoockii sententia sufficient.

10, 62

Quamuis autem magnam veritatis speciem habeant; nondum tamen ita sunt comparata, vt non facillime queant refutari diluique. Condonemus liberaliter priora duo argumenta. Sed quid cogetur inde? Vt eadem scilicet opera obiectemus mendacium historicis, & vetitam plane versuram fuisse pernegemus.

E

gemus. Si etenim refecari nimium vsuras non oportuit; quis laudet magistratum, omnem earum stipulationem interdicientem? Haut vero euincet paucorum egestas, vt omnes perinde copiis familiaribus adeo exiguis fuisse statuamus. Non potest non locupletari ciuitas, quæ mercaturas & nauigationes exercet: quod Romanos iam LX annis ante decemuirorū tempora fecisse, *p. 80. & 91.* contra Scaligerum & Salmasium clarissimus Rupertus ad Enchiridion Pomponii probat. Neque ob solam paupertatem tantum cuique emolumentum interuertetur: quum diuites sæpius multo plura negociando lucrari possint: quibus vt se priuari aliorum gratia patiantur, naturali quidem iure non tenentur. Quamquam vero sunt pauperrimi in republica ciues; quamquam ægre adducuntur, vt sub vsuris leuissimis credant: non temere tamen ciuili maiestas recedere ab officio censenda est, si vel gratuito, vel minimo fœnore debitores obstringi velit ac iubeat. Satis eam diuinæ sanctionis auctoritas exemplumque tuetur. Et improbitas fœneratorum, seditio discórdiarumque creberrima causa, necessitudinem tandem Romanis fecit, tanti mali cohibendi. Hoc autem vel prohibitione vsurarum omnimoda; vel non nisi leuissimarum permissione poterat præstari. Quodque summa rerum est, diserte Liuius refert; inuitis patribus a tribunis plebis (quæ demersa maxime aere alieno, non in seruitium, sed in ergastulum & carnificinam a fœneratoribus ducebatur) de vnciario fœnore rogationem fuisse perlatam. Miras enim per artes oriebantur repressæ dudum fraudes: & sensim exspirauerat vis omnis legis XII Tabularum: cuius ferendæ procul dubio tumultus ac seditio obæeratorum causa fuerant. Nunquam vero persuaderi mihi patiar, haut inuite plebem in centesimas, acerbissimis etiam fœneratoribus, teste Cicerone, probatas, consensisse, quæ sortem ægerime persoluebat. Inualidum porro a locuplete republica argumentum est. nam hac ratione longe maiores centesima vsuras, laborante eadem & inope, fuisse concedendas, sequeretur. quas etiam si publicis legibus admittas fingamus; iam vnciarium fœnus non centesimæ; sed binis fortasse, aut ternis centesimis respondet. Illud autem vanum plane, neque dignum omnino est, cui quidquam opponatur; creditoribus plerisque rubor futurum;

*Vid. Liuius
de secess. in
montem
sacr. m.
Ad Attic.
6, 1.*

rum, si, minore summa locata, vsuras minutissimas singulis sibi mensibus numerari postulare debuissent. Sic canonem leuisimum, diobolum fortassis, præstari oportere negabimus; quod emphyteutæ iuxta & domino eius solutio pudorem afferat. Quid obsecro ad decus & laudem reipublicæ interest, siue inuite & quodam cum rubore; siue cupide ac libenter vsuræ exigantur? Non equidem ad fœneratorum arbitrium, sed ad communem salutem maiestas ciuilis constituit omnia ordinatque. Ceterum in promptu est remedium, quo verecundiæ huic occurratur. Nulla creditori imponebatur necessitas, singulis Kalendis de vsuris debitorem appellandi. ferenda igitur tantisper mora, donec incrementis maioribus auctas, vno tempore vniuersas reposceret: quod hodieque in vectigalibus agris nonnunquam asolet fieri. Progrediendum nunc iam ad Liuii loca: quæ prima fronte plurimum sententiæ nostræ videntur aduersari. Sed nihil est, quod a Patauino metuamus: ipse rem omnem planissime ac luculenter expedit. Quorsum enim verba ista? *Nam etsi vnciario fœnore facto leuata vsura erat* (quamquam causæ nihil suberat, quamobrem de vsurarum grauitate quererentur, maximis illis, qualis centesima etiam, coercitis ac resecatis) *sorte ipsa* (tamen) *obruebantur inopes, nexumque inibant.* Sortis igitur magnitudo perfecit, quo minus solide lætarentur: & vel minima vsurarum accessio perincommoda accidebat. Hinc quinto a tribunitia rogatione anno, compellebantur noui consules, vt solutionem aeris alieni, rem difficillimam tractatu, publico impendio sustinerent. Istius causam mali Liuius *Liu. l. 7. ad* mox addit: *Tarda enim nomina & impeditiora inertia debitorum, ann. V. C.* *quam facultatibus.* Hæc inertia ipsas quoque vsuras, quantum. *403.* uis leuisimas, exaggerabat. Finge sortem mille Ioachimicorum: (sumamus enim exempli loco genus monetæ notissimum) hæc menstruas vncias vsuras nostro sensu efficiet Ioachimicum; annuas, decem Ioachimicos. Quarum solutione per aliquot annos dilata, plurimum sane sorti accessionis fiet. Finge iterum hasce vncias vsuras, quoties exacto anno non soluebantur, de communi fere veterum iure sorti adiectas fuisse: & quantis hinc incrementis augebitur. Non itaque absurde, neque absone dicitur; semunciarium fœnus quartam & vicesimam centesimæ partem significare.

Ante Iustinianum adhuc licuisse vsuras veter.

E 2

care 2



*Solutas forti
adiicere,
probatu r l.
28. C. de V-
suris. vid.
ibi Cuiac.*

care, ut sit tenuissimum. Nec enim querelæ civium de gravi-
tate vnciarum fœnoris; sed prolatae iam rationes, atque fraudes &
machinamenta fœeneratorum eo vocabant tribunos, ut semun-
ciarum rogatione plebi consultum irent. At vero ne sic quidem
liberata respublica ingenti malo. Postremo igitur vetita versura:
quæ per dolos astutiasque rursus oriebatur; machinationibus
creditorum omnem plebis scitorum vim eludentibus. adeo semper
in ciuitate & vetabantur vsuræ & retinebantur. Non morabimur
ulterius in hac parte. Illud iam confutandum erit; per vncias
vsuras, seu vnciarium fœnus, antiquos ipsam centesimam indi-
casse. Fatemur sane, haut inusitatum ac nouum esse, ut partem
pro toto ponamus. Cur autem in solo vsurarum genere, neque
in aliis etiam rebus, quæ per assem dispertiuntur, tropus eiusmo-
di occurrat? Diuersitatis equidem ratio nulla apparet: neque
dari potest ex omni antiquitate simile exemplum. Imo vero ne
commode quidem vnciarum vocabulum pro asse, siue centesima, li-
cet vsurpare. Quæ enim inde confusio? Aut duodecimam assis
partem, ipsumque assem, siue centesimam, simul designat; aut as-
sem tantum. Si illud; dubius hærebis, ecquid debeat intelligi;
nisi expresse fuerit additum; sin hoc; peribit tibi nomen, quo
duodecimam assis, siue centesimæ, partem appelles. Constat ex
Scauolæ responso, vncias vsuras Iureconsulti tempore duodeci-
mam centesimæ partem fuisse. Quis autem credat, adeo indili-
gentes hic Tacitum æque ac Liuium (qui post Scauolam florue-
runt) futuros, ut ne verbo quidem diuersæ significationis indi-
cium facerent. Magno sane silentium ipsorum argumento est,
neque XII Tabulas; neque tribunitias rogationes a natiuo voca-
buli vsu quidquam recessisse. Ex sanguis quoque est altera ratio,
qua respectu annui vnciarium fœnus dici potuisse contenditur.
nondum enim concessa ponit: centesimam scilicet legitimam
vsuram fuisse. Deinde ostendi facile potest, nullum plane annum
assem dari. Non commemorabo multa de illorum opinione, qui
tantummodo annui respectu assem appellari existimant. Demon-
strauimus enim superiore capite, assem, partesque eius perpetuo
congruere ac geminum esse centesimæ: hanc vero, eaq; inferiores
vsuras, in singulos menses promissas communiter fuisse. Id solum
nega-

DISSERTATIO.

negatum eo, menstruas vsuras, quantum in annum conficiunt, iunctas congregatasque, veteres simul enunciasse. Nam Plinii locus, quum solus ex veterum monumentis produci queat, nondum euincet, vulgo ac passim, priscis temporibus quoque, istum loquendi morem viguisse. Ne addam, quod suspectus magnis viris videtur*. Vtvt præterea hoc ipsum largiatur, nondum tamen annuus asis concessus est. Neque enim quisquam mentionem eius facit: & nihil intemptiuius, quam fingere, quæ confusiones maximas pariant; quum eadem hic de asse iam mentionem, iam annum significante, locum habeant, quæ ad synecdoches figmenta respondimus. Reliqua Schoockianæ coniecturæ firmamenta suoapte impetu concidunt. Multa olim per aliquot secula vel more maiorum, vel publica lege introducta fuerunt; XII Tabularum æuo aut ignorata plane, aut longe aliter constituta. Solam iniuriarum pœnam, quæ antiquitus propter membrum ruptum talio erat, sufficiat nominasse. De hac Imperator §.7. Inst. de Iniuriis. *Sed pœna quidem iniuria, quæ ex Leg. XII Tabularum introducta est, in desuetudinem abiit: quam autem Prætores introduxerunt (quæ etiam honoraria appellatur) in iudiciis frequentatur.* Adeo non perpetuum fuit, vt prisci huius iuris rationem vbique legislatores duxerint. Neque id oportebat fieri: cursu rerum, & reipublicæ habitu alia omnia suadente. Longe infirmisimum quoque est, quod a constitutione nostra; vel quibuscunque tandem locis, vbi prisci iuris mentio fit; argumentum petitur. Sæpius enim *ius antiquum, aut vetus* appellatur, quo iam diu populus vsus est: item quod antiqua prudentia iuris peritiorum induxit. Interdum sic vocatur habita ratione constitutionis eiusdem legislatoris nouæ: vti in Paratitlis ad Digesta, & in Observationibus docet summus iuris interpret Jacobus Cuiacius. Liuius etiam VII. Historiarum: *Lex vetusta est, priscis literis verbisque scripta, vt qui Prætor maximus sit, Idibus Septembribus clauum pangat.* Nemo autem hinc XII Tabulas vnice signari existimat. Nulla igitur necessaria consequutio: Centesima legibus priscis recepta & præstituta dicitur; ergo leges illæ fuerunt XII Tabularum.

* G. Salmasius de M. V. p. 269. Gron. Ann. contra Schoock. II. p. 102. & sequ.

Ad tit. de Reg. Iuris. Obseru. 3, 12.

Amisit vero præcipua stabilitatis suæ præfidia Schoockii;

kii; & cum eo, aliorum opinio. Cetera, si quæ possunt moueri, neque maioris momenti quidquam trahent; atque eneruata, facile collabentur. Nos vt mutemus propositum, & ab indole vocis communique vsu abeamus, nulla prægnans ratio urget. Monēbo adhuc vnicum: quod vel solum confutandæ Schoockianæ asserzioni sufficiat. Posteaquam Tacitus tot malorum causam scænebris malo imputauerat, hæc subiicit: *Eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus: statim & modum cohibitionis, qualis ille fuerat, addens: nam primo, inquit, duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret.* Egregios vero & innocentes mores illos, qui centesimas; tale scilicet vsurarum genus permittunt, quod sub Nerone, pronoque in peiora seculo, sanguinolentum Senecæ audiebat. Melius igitur Iustinianum, & dignum quod priscis temporibus ruborem incutiat; dum, vsuris longe minoribus introductis, prodidit, quantum a vera & perfecta laude maiores abfuerint. Sane non potuit laudare Tacitus, quod honestissimo cuique improbatur. Manet itaque firmumque est, unciarium fœnus; seu uncias vsuras, non centesimam, sed duodecimam eius partem valere. Nunc iam reuertamur ad Imperatorem: ne nimii in hac parte illis videamur, qui aurea utilitate cuncta metiuntur. Nec enim positæ in his Germaniæ fortunæ sunt: & retinendus, quod seculi mores deposcunt, ex ista sapientia modus.

de benef.
7, 19.

CAPVT V.

DE

MODO VSURARVM IUSTINIANI, ET NOSTRIS TEMPORIBUS INTRODUCTO.

ARGVMENTVM.

Debitorum in Lege nostra nulla habetur ratio. An ob lucrum debitoris quidquam potest exigi? A quibus vsura non exigantur. Quænam persone Illustres & Superillustres. Cur iis tantum trientes permisse. Olim Senatoribus & Præsidibus Prouinciarum prohibitum fœnerare. An in omnibus omnino contractibus vsura

Usuras persone Illustres non possunt stipulari? Notatur Pacius. Institores. Argentarii. Cur his beses concessa. Negotiatores ultimi quinam. Quid statuendum, si quis post initum contractum negotia gerat; aut desinat negotiari; aut nomen alteri cedat. Traiectitius contractus. Fœnus nauticum. Quinam id exercebant potissimum? Cur nauticum fœnus magis, quam nautica usura dicatur. Definitio nautici fœnoris. Quæ ratio periculi a creditore suscepti. Tempus certum nauigationi interdum præfigebatur. Reprehenditur Hotomannus. Quodnam periculum regulariter præstabat creditor? Usura in his contractibus permissa. Nouelle 110 lux. Salmasii sententia reiicitur. Vtrum Iustiniani aeo consuetum adhuc, ut seruus cum nauigante mitteretur. Fœnus quasi nauticum. Iure Canonico videtur nauticum ac quasi nauticum fœnus prohibitum. Species quid sint. Quo respectu hic sub centesima fœnerari possint. Molinai error. Cur reliquis omnibus semisses tantum concedantur. In mutuo usura, nisi ex stipulatione non debentur. An odio usurarum? Negatur cum Cuiacio aduersus Paulum Busium. Busii rationes examinantur. Redditur ratio, cur stipulatio requiratur. Effectus nudi pacti mutuo adiecti. Effectus nudi usurarum pacti, si contractibus bonæ fidei addatur. Leotardi sententia, cur mutuum adiectum sit contractibus stricti juris. Vtrum aliis adhuc casibus centesimam licet exigere? P. Gregorius refutatur. Imperator usuras moribus receptas ceteris omnibus exæquauit. Quidquid ultra præfinitum modum aut promissum, aut datum est, constitutione nostra irritum habetur. Machinationibus fœneratorum obuiam itur. Siliqua. Onus siliquatici. Sportula. Variæ fœneratorum fraudes recensentur. Pœna fœneratorum. An ipso iure infamia irrogatur? Ad quem iudicem questio & causa usurarum spectent. Quid nostris temporibus obtineat, breuissime indicatur.

AD personas cum Imperatore progredimur: quarum tria genera constituuntur. Primo enim loco Illustres ac Superillustres; deinde ἐργασnehmerάρχαι, quiue licitam negotiationem gerunt; ultimo reliqui promiscue omnes numerantur. Tractatur autem de iis tantum, qui usuras stipulantur; aut citra stipulationem exigere solent. Debitorum hic nulla fit mentio: ex ea fortassis ratione, quod regulariter in præstatione usurarum haut oportet spectare, quantum ex re aliena commodi debitor queat percipere. Nam si quidquam lucri facit, in mercedem ac præmium laboris impensi sibi merito vindicabit: & secundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur in commoda l. 10. de R. I. Neque potuerunt legislatores generaliter

ob

ob lucrum debitoris, proprie sic dictum, vsuras permittere; quandoquidem hoc ipsum (quod tum demum intelligitur, quotiens impensis omnibus ac damno deductis, aliquid superest) non facile consuevit præsumi. Et magna pars hominum non ut quæstui seruiant, sed ne destituantur vitæ subsidiis, rebus suis vtuntur. Imo vix ac ne vix quidem dabitur pactum, quo creditor eum solummodo in casum, si nempe lucrum alter fecerit, vsuras stipulatur. Sæpius enim quidquam sibi lucelli accreuisse debitor negabit: sæpius quoque, si exiguus nimium quæsticulus, plane nesciet. Inde vero altercationes, & difficillimum probandi onus: vt consultius multo sit, procul habere huius generis pactiones, quam nouis semper ac perpetuis controuersis exponi. Ideoque frustra fortassis ac nullo operæ pretio a quibusdam disceptatur, vtrum talis contractus naturali iure licitus sit, nec ne. Illud saltem moneri hoc loco meretur; singulari ecclesiarum atque agriculturalium fauore ductum Imperatorem, ne temere vsuris grauarentur, per *Nouellam 7. §. 37.* præsentem Constitutionem restrinxisse, ac constituisse, vt pecunia mutuo accepta, illæ quadrantes, hi solas trientes possint polliceri. Permissum vero est ab omnibus vsuras exigere, quamquam nihil emolumenti ceperunt. Fiscus ex suis contractibus moramque committens, vsuras non dat; sed ipse semisses accipit. Vnde debitores, qui minores semissibus præstabant, postquam ad fiscum transierunt, has coguntur exsoluere. *l. 17. §. 5. & 6. de vsur.* Quod si in loco priuati succesit, etiam dare vsuras solet. *d. l. & l. 6. de iure fisci. l. 2. C. de fiscal. vsur.* Quodcunque autem priuilegii fisco competit, hoc idem & Cæsaris ratio & Augustæ habere debet. *l. 6. §. 1. de iure fisco.*

Exponendum nunc est, quænam dicantur personæ *Illustres*. Erant scilicet Patricii & Consules, & Consulares; Præfecti Prætorio; Præfectus Vrbi; Magistri militum; Quæstores Sacri Palatii; Magistri officiorum; Comites sacrarum largitionum, & rei priuatæ; itemque Præpositus sacri cubiculi. Hi omnes ingrediendi Senatuum dicendæque sententiæ ius habebant. *L. 5. C. ad L. Jul. Maiest.* ab Arcadio & Honorio A. A. appellantur: *Viri illustres, qui consiliis & Consistorio principis intersunt*; id est, Consiliarii intimi sanctioris & arcani confessus Principis: *σωμωδρῶντες καὶ βασιλεῖς*

Sid. Cuiac.

ad l. 1. C. de dignitat.

Gothofr. ad

l. 5. C. ad L.

Jul. Maiest.

c. 11. Perez.

ad tit. C. de

dignit.

λαί τ' ὄψε ἀπάντων βελῆς κοινωνῶντες. Vnde Theodosio M. describuntur: *Comites Consistoriani, qui participantes Augusti pectoris curas agendo clarebant. Superillustres; siue vt hic, illustres precedentes persona* dicuntur, quæ proxime principi assidebant, neque præter eum quemquam agnoscebant superiorem. Hisce tantum pars centesimæ; id est, trientes vsuræ sunt concessæ. Nam & facilius carent pecunia; & quæstu etiam minore, vtpote a mercatura atque negotiationibus plane alieni, ea vtuntur: vt tantum ipsos damni facturos, si mutuo dent aliis, non sit verisimile. Minus porro decorum personis in dignitate constitutis, ac perniciosum exemplo habetur, agitare fœnus, & in vsuras nimium extendere. Quamquam hoc a paucissimis olim obseruatum fuit: quod infinitæ plebis, a primis vsque temporibus, querelæ loquuntur. Etiam Tiberii æuo, quum magna vis accusatorum in fœneratores irrumperet, *trepidi patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam a principe petiuere.* Sane quidem, vt Senatores (quales secundum Vlpiani *definitionem l. 12. de Senat. omnes personæ illustres sunt) eorumque filii, & Præsides prouinciarum, neque per se, neque per suppositas personas fœnore auctitare pecunias possent, sæpe rescriptum fuit. Quod ex Ælio Lampridio supra citato*, & l. pen. C. Tb. de vsur. & constitutione Gordiani * l. 3. C. si cert. pet. liquet. Mox coniueri, liberaliusque indulgeri cœptum est, vario vsuris modo per Alexandrum, Arcadium, Honorium, Theodosium, ac nostrum tandem Imperatorem præfinito. Ait vero Iustinianus: *minime licere vltra tertiam partem centesima vsurarum nomine, in quocunque contractu vili vel maximo stipulari.* Hæc sanctio eam in partem est accipienda, ne casus singulari concessu exceptos comprehendamus. Cuius generis heic recensentur traiectitii contractus, & specierum fœnori dationes. Neque enim ferenda Pacii, ad titulum Codicis de Nautico fœnore, sententia est, qui solis negotiatoribus nauticæ pecuniæ contractus adiudicat; personis vero illustribus, quantumuis eiusmodi pecuniam credant, vltra trientem negat deberi. Enimvero centesima vsura respectu periculi a creditore suscepti, traiectio contractui fuit assignata: & quibusuis tam illustribus, operariis, agricolis, quam aliis mercatum instituentibus, periculum

Tac. Annal. 6, 16.

*Sid. Cuiac. ad d. l. 1. C. de dignit.

* p. 16.

Adde Salmaf. de M. V. 2, p. 374.



lum suscipere est integrum. Ratio autem, cur istis, quam his fraudi esse potius benignitas sua debeat, nulla apparet. Ad hæc negotiatores ipsi quoque priuilegio hoc minime videri possent gaudere; vt quos Imperator stipulationes suas vsque ad besse tantum in quocunque contractu iubet moderari. Equipollent vero, *quicunque contractus, & quicunque contractus, vilis vel maximus*. Quid? quod negandum etiam foret, ex specierum fœnoratione centesimam licere accipere? quod mutui genus tamen proprium negotiatorum esse, frustra affirmabitur.

Transimus ad eos, qui ergasteriis præsumunt. *Ἐργαστήρια* dicuntur officinæ, quæ mercimoniis deputantur. His institores præerant atque argentarii; siue, vt *l. 12. §. 3. C. de cohort.* & vulgo audiunt, trapezita. *Institor*, definiente Cuiacio, est, qui alieno nomine instat mercaturam, qui & officinator in glosis, & *ἔργαστήριος*, vel actor rerum eius, qui eum præposuit. Adde *l. 3. §. 5. de Inst. act. §. 2. Inst. quod cum eo qui in alien. pot.* Seneca VI. de Beneficiis: *Institores delicatarum mercium* (serici, Coæ vestis, vnguentorum, margaritarum, vt Lipsius annotat) *iuuentus corrupta locupletat*. Nimirum quibusuis, & preciosissimarum rerum negotiationibus præponebantur. Per *Argentarios* hic non illos intelligimus, quorum *l. 1. C. de excus. artif.* meminit, qui que signare argentum solent; sed quos Iustinianus *l. un. C. negotiat. ne milit. argenti distractores*, & argumento rubricæ dictæ constitutionis, communi *negotiatorum* vocabulo appellat. Græcis audiunt *ἀργυροπώλαι*, quod argentum; id est, cuiuscunque materiæ nummos vendunt: *οἱ τὰ λεπτὰ νομισμὰτα πωλῶντες*. Alias variis nominibus, *collybista, nummularii, mensarii, mensularii, argentaria mensæ exercitores* vocitantur, perque illos plerique credebant pecuniam, & fœnore accipiebant. *l. si hominem. 7. §. 2. depos. l. si res. 50. de adm. tut.* Addit Imperator: *vel qui aliquam licitam; id est, toleratam, nec reiectam publicis aut legibus, aut moribus, negotiationem gerunt*. Hisce personis, & si qui harum nomine contrahunt, in vniuersum besse vsuras, siue octo in centum permittit stipulari. Argentariis quidem, quod officium eorum publicum *l. 10. de edendo*. ac vsus necessarius ex utilitate publica *l. 8. depositi*. quodq; non sine periculo omnibus propemodum indigentibus

Ad Cod. de
inst. &
exerc. act.

Vid. Cuiac.
ad l. si vnus.
ff. de pact.
§ 10. Obs.
14.

ibus opem ferre parati erant. *Novell. 136. c. 4.* Quapropter etiam
 nouissime Iustinianus constituit, ut beses usuræ sine stipulatione;
 & quamuis expressis verbis nominatum nihil esset, iis deberen-
 tur. *d. Nou. 136. c. 4. & 5.* Eo enim audaciæ si non omnes; saltem
 plerique nondum deuenerant, quo superiore ac nostro quoque
 seculo Longobardi: qui turpissimi tantum quæstus gratia, posi-
 tis publice fœneratoriis mensis, horrendum fœnus, idque intole-
 rabili extorquere conditione consuerunt. Negotiatoribus reli-
 quis beses conceduntur, quod pecuniæ magis indigent, plusque
 negociando emolumentum ex rebus sibi suis sciunt comparare.
 Vtrum vero in his ponendi sint, quos *l. 6. C. de dignit. negotiatores*
ultimos vocat, haut vane fortassis dubitaueris. Nam compendia
 ipsorum longe solent esse vilissima; & minus quoque videntur le-
 gibus probari. Eius generis sunt *propola*, qui mercantur a mer-
 catoribus, quod statim vendant; uti a Cicerone in primo de Offi-
 ciis describuntur: in illiberalibus ac sordidis eapropter relati.
 Eodem loco habendi & *stationarii*, in *l. 6. §. 3. C. de cohort. apothecarii*
appellati; quod mercium vilissimarum apothecas secum de-
 ferentes, certis in locis, opperturi emptorem, aliquamdiu subsi-
 stunt. Sed vix sustinemus priuilegio arcere, quos non diserte re-
 perimus hac in parte notatos. Duæ præterea hoc loco quæstio-
 nes ab interpretibus mouentur: si inito iam contractu negotia
 creditor gerere incipiat; & deinde, si aut desinat negotiari, aut
 nomen alteri cedat; vtrum beses queat stipulari? Priori casu a
 creditore stare videtur *l. 27. C. de usur.* vbi Iustinianus usuras an-
 te promulgationem legis nostræ *xxvi*, in stipulationem dedu-
 ctas, & in futurum soluendas, ad modum dictæ sanctionis vult
 temperari. sed verior omnino negatiua est: quandoquidem lex
 ista de minuendis, non augendis usuris loquitur; & in contracti-
 bus stricti juris id semper spectandum, quod primo in stipulatio-
 nem venit. Absque nouatione igitur maiores usuræ non debentur.
 Quin autem creditori sub ea conditione, si facturus sit mer-
 caturam, beses stipulari liceat, dubitatione omni caret. Altera
 quæstio inde controuersa redditur, quod in contractibus initium
 præcipue est obseruandum: ut non iniuria durare hic, quantum
 ad præsentem quidem contractum, beses usuræ existimentur.

*vid. Clop-
penburg.
Inst. de
Usur. 10.*

*Cuiac. 2,
Obs. 61.*

Quoniam vero priuilegium hoc personale est, merito etiam cessante ratione illius, extinguetur. quod exemplo §. 1. l. 87. de leg. & fid. 2. potest confirmari. ibi enim finita ætate, cuius fauore priuilegium concedebatur, & ipsum priuilegium finitur. Haut incongrue quoque locum hic inueniet ratio, quam ex l. 27. Cod. de usur. antea petebamus.

Immiscet iam personis Imperator contractus, quorum quis respectu iacturam potest maiorem facere. Ait: *In traiectitiis autem contractibus.* Traiectitius contractus proprie non ille dicitur, ubi res credita trans mare tantummodo exportatur: quo sensu Papinianus III. & V. Responsorum, l. 4. de naut. fœn. l. 39. §. patrius. de adm. & per. tut. pecuniam usurpat: sed quum periculo creditoris, contra naturam mutui, pecunia, siue merces ex ea comparatæ l. 1. de naut. fœn. l. 122. §. 1. de V. O. vehuntur. Fœnus autem nauticum, siue *maritima usura.* l. 6. de naut. fœn. (Græcis dicitur δάνεισμα ναυτικόν, ἀσφάλιον, & opponitur τῷ ἐνύσῳ, quod ἀσφαλές, tutum ac sine periculo) est, quæ creditoribus etiam quibusuis, ob susceptum pecuniæ periculum, consuevit exsolui. Quamquam negatum haut eo, exercitores nauium fœnus hoc frequentius agitasse; quod periti nauigationum, periculo suo facile credebant. Vtrum vero ideo magis *nauticum fœnus*, neque *nautica usura*, vel *nautica usura* dicantur, quod totum nempe fœnus; id est, fors & usura simul ac semel solebant exigi, non sine controuersia est. Primus affirmatiuæ sententiæ auctor Salmasius, a Gronouio in Mantissa pecuniæ veteris eo nomine notatur. Sane quidem, quidquid hic intuitu periculi pollicetur, improprie usura audit; quoniam non ob usum (quod origo vocabuli ac vis deposcit) siue in compensationem interceptæ utilitatis; sed in pretium periculi exsoluitur. Meruit tamen usuræ nomen; quia indiuiso adeo nexu coniunctum cum ea est, ut non diuersum aliquid, sed idem omnino videatur. Rectius autem vocabulo fœnoris (quatenus non pro specie usuræ, proprie sic dictæ, accipitur) comprehendes: hoc enim generalius est; & vel partum mutui, vel redhostimentum designat. Finire usuram hanc, siue potius fœnus, licebit *per accessionem quantitatis credite, quæ in compensationem* (puta & utilitatis interuersæ, & suscepti periculi)

Sid. Salmasius de M. V. 3. Gothofr. ad l. 122. §. 1. de V. O.

utriusque

DISSERTATIO. 77

iniquam interesse petitur. Quantum ad ipsum contractum, debitor ea, & quidem expressa lege *l. 2. & ult. C. de naut. fœn.* mutuo pecuniam sumebat, ut suscepto creditor periculo, si præfiniti itineris tempore periret creditum, nihil plane posset repetere; si vero saluum transferretur, sortem iuxta, ac usurarum nomine summam certam exigendi ius haberet. Periculum illud vel in omne itionis atque reditionis tempus suscipiebatur; & hinc Græcis fœnus ἐπὶ ῥόπλων, itemque ἀμφοτερόπλων; vel ad locum, inque diem certum tantummodo. *l. 3. C. de naut. fœn. l. 4, 6. ff. eod. l. 122. §. 1. de V. O.* Diem aut mensem expresse navigationi dicebant, quia temporum alia nauigantibus accommoda; alia plenissima periculi, ac quodammodo intractabilia erant. Fallitur autem Hotomannus, qui eum in finem id factum putat, ne creditor vel nauta moras itineri nectendo, in usuras maiores fœnus extenderet. In omne namque suscepti periculi tempus maritimas usuras communiter promissas fuisse, supra docuimus; & in laudato sæpius opere Salmasius passim demonstravit. Adde, quod a creditore dies assignabatur: cuius intererat maxime, navigationem quamprimum finiri; quum tractu temporis & periculum traheretur. Periculum hic regulariter illud intelligitur, quod a naufragio contingit. Ceterum haut dubie etiam de eo, quod a piratis, hostibus aut incendio prouenit, nominatim interdum cauebatur. Quod si in tempestate leuandæ nauis causa, de communi vectorum consensu iactura facta; si debitoris culpa damnum illatum, ad creditorem casus non pertinebit. Illic enim neque totum creditum, & non inuito debitore perit: hic imputabit sibi, quod contra legem contractus venerit; aut perniciose temeritate magnum acceperit incommodum. *l. 3. C. de naut. fœn. l. 11. §. 2. π. de publican.* Istud vero periculum creditoris ut pensaretur, licuit olim, quamdiu nauis nauigaret, infinitas usuras recipere. Quod Paulus II. Sententiarum, titulo de usuris testatur. Iustinianus centesimam præfixit: quæ a communibus usuris *l. 2. C. de naut. fœn.* distinguitur. Neque eam abrogauit deinceps per *Novellam 110*, antiqua licentia, quantis quis vellet usuris, traiectionem mutuum dandi, restituta: quod frustra Salmasius capite nono de Modo Usurarum existimauit. Improbantur enim tantummodo



modo receptæ moribus in nautico fœnore conuentiones, quas *Non. 106.* Imperator confirmauerat. De cetero *secundum de talibus* contractibus *positas leges*, qualis est, in cuius explicatione hæremus, negotia & æstimari vult, & diiudicari. Siue igitur in singulos menses (neque enim fuit prohibitum) siue in omne nauigationis tempus vsuras placuerat stipulari, centesimam nullo modo licebat excedere. Id est, hoc posteriore casu tempus istud vniuersum menstrui respectu computabatur; totque centesimas, aut tanto minus centesima debitor præstabat, quot mensibus, aut quanto minore dierum spatio in itinere fuerat. Aliam Iustiniano mentem vix licebit affingere. Neque absoluet eum iniquitatis, qui plane ac præcise in omne suscepti periculi tempus centesimam putant præfiniri. Quid enim, si tam diu periculo suo pecuniam futuram creditor pepegerit, donec naues reuertantur saluæ? Continget forsitan, vt in tres, quatuor, quinque menses; aut in annum etiam integrum nauigatio extendatur: & tum tu vltra centesimam iure non deberi contenderis? Ingens sane beneficium; quod neminem non ad sustinenda tot tamque varia amittendæ sortis pericula inuitet. Enimuero aliud longe est, vbi creditor eiusmodi pactum ipse inicit, cuius mentionem *Nouella 106.* mouet. Tunc etenim lucri damniue causam aut culpam in se merito transferet. A nautico hoc fœnore differt pecunia pro operis serui traiectionis pecuniæ causa sequuti (quem *κερμακόλαρον* vocabant) in stipulationem deducta. *l. 4. §. 1. de naut. fœn.* Crediderim vero Iustiniani æuo consuetudinem illam seruum cum nauigante mittendi desisse. Nihil enim quidquam ea de re in Codice decedit: neq; veri videtur simile, pœnam centesimæ respondentem, pro serui operis post diem periculi stipulari licuisse; quum in traiectionis pecunia solius periculi intuitu centesima in permisissis habeatur, eoque discusso, cesset tota, atq; communes tantum vsuræ debeantur. *l. 1. C. de naut. fœn.* Ad exemplum nautici fœnoris introductum est *quasi nauticum*; quando periculo creditoris pecunia in solo continente per intutas infestasque vias transportatur. Qua de re videri potest Scæuola in vexatissima *l. 5. de naut. fœn.* cuius tenebras dispulit, controuersiamque omnem felicissime expediuit, eminentissimus disputationis nostræ Præses, in disserta-

Diff. 18, 15.

tio-

DISSERTATIO.

tionibus ad vniuersum ius Iustinianeum. Commune autem hoc vtrique scœnori est, vt habita ratione discriminis, & pactum sine stipulatione ad obligationem profit, *l. 5. §. 1. de naut. fœn.* neque vltra periculum, vt dictum est, centesima duret. Multi Iureconsultorum neutrum scœnus Canonico iure tolerari asseuerant. In testimonium afferunt Gregorium IX, qui *c. vlt. de Usur. Nauiganti*, ait, *vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, usurarius est censendus.* Fachinæus II. *Controuersiarum negationem* inserit: *usurarius non est censendus.* Mox recedit tamen ab hac coniectura, quod codicum omnium fides reclamet. Ceterum duo casus vûlgo ponuntur, quorum alterutrum a Pontifice interpretes volunt designari: si aut dare quis pecuniam mutuo, nisi suo id periculo fiat, recuset; aut inæqualitas inter vsuras susceptumque periculum nimia occurrat.

Ait porro Imperator: *vel specierum scœnori dationibus.* Species hic opponuntur pecuniæ numeratæ, suntque fructus aridi vel liquidi; veluti frumentum, vinum, oleum. Vocantur *σιτωναί*, id est frumentarii; *ελαιῖναι*, id est olearii, qui tales species curant. *l. vlt. de mun. & bon. §. 5.* Molinæus hoc loco eatenus tantum considerari eas arbitratur, quatenus sub qualitate pecuniæ traiectionis scœnori dantur. Sed errat. Nam quibuscunque casibus, etiam agricolis, sub centesima possunt credi; *Nou. 32, & sequ.* ob incertitudinem pretii, quod alio tempore maius, minus alio esse consuevit. Hinc etiam ex nudo pacto debentur *l. 12. C. de usur.* Per veteres autem leges, quibus olim excedere centesimam in contractibus his licuit, non intelligendas esse XII. Tabulas; sed quasuis ante Iustinianum latas, superiore capite monuimus. Tanta vero antiquitatis erat indulgentia, vt quatuor etiam centesimas *Ἄξι τὸ ἀδηλὸν τῶν καρπῶν* exigere concederetur. *l. 1. C. Th. de usur.*

Pergit Imperator, ac reliquis omnibus dimidiam solummodo centesimæ; id est, semisses assignat: minores negotiatorum, maiores illustrium personarum vsuris. Nam & fructuum atque utilitatum, quas illi rerum suarum vsu potiuntur, eadem est ratio: quum neque præsumantur minus egere, aut vti pecunia; neque

opima



opima adeo merces operam & impensas ipsorum sequatur. At porro: *Et eam quantitatem* per totam sanctionem istam (nec enim placet ad solas semisses verba hæc referri) pro personarum ac contractuum diuersitate determinatam, *etiam in aliis omnibus casibus nullo modo ampliari.* Quinam vero illi? *In quibus citra stipulationem exigere usura solent.* Egerat hætenus igitur de vsuris stipulatis; idem iuris fore asserens in iis, quæ ex conuentione nuda, vel citra ullam conuentionem præstantur. Præstantur autem vsurarum quædam, atque tum demum ad iudicem earum nomine itur, si stipulanti fuerint promissæ: in quibusdam stipulatio necessaria non est; sed nuda conuentio creditori ius exigendi acquirit: nonnullas præterea & officio iudicis consequimur. Illius generis sunt, quæ mutuo accedunt, regulariter nostris quoque temporibus stipulationem postulantes. An vero id vsurarum odio prius legibus sit constitutum; quod post Accursium, Bartolum, Castrensem clarissimo viro Paulo Busio in Subtilitatibus iuris, contra Cuiacium asserere placuit, merito queas dubitare. Neque enim argumenta ipsius grande adeo momentum trahunt. Cuius regula *l. 48. ff. de pactis: In traditionibus rerum, quodcumque pactum sit, id valere manifestissimum est:* vel ad dationem ac traditionem a iure nondum formatam, vel ad reuocabilem etiam, modo nente Bachouio, spectat. Offendit deinde Busius in eo, quod nisi vsurarum odium obstaret, saltem præscriptis verbis in factum actionem nascituram arbitratur. Ex nuda enim pacto per se non datur actio: & quamuis in continenti stricti iuris contractibus (qualem mutuum quoque esse vel dupondii nouere) adiectum fuerit, ciuilem tamen obligationem haut parit. Vbi autem ciuilis obligatio nulla, ibi nec actio; atque sic perinde censetur, quasi nulla prorsus conuentio interuenisset. Hinc Paulus *l. 17. pr. de pactis: Si tibi decem dem, & paciscar, ut viginti mihi darentur,* quia tale pactum inualidum est, ac ciuilitè pro non adiecto habetur; *non nascitur obligatio ultra decem:* quodcumque enim expresse nihil conuenit, tunc *re,* sola rei traditione, *non potest obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit.* quod ipsum commutatiuæ iustitiæ ratio deposcit. Non itaque odio vsurarum obligatio impeditur; sed quoniam mutuum annumeratur contractibus stricti iuris:

quæ

Vid. Magn. Dn. Præsid. Dns. 12, 10.

Subt. 1, 4. 19. Obs. 27.

ad Tr. 1, 6. 10. l. a & b.

DISSERTATIO.

49 ad §. 28. de action.

qui, tradente in commentario ad Institutionum libros Arnol-
do Vinnio, ea de causa variis adeo arctisque limitibus sunt
circumscripti, quod altera tantum pars in iis obligat, altera
vero obligatur. Hinc, ne temere quis vinculis grauioribus ob-
stringeretur, illum demum paciscendi modum valere firmiter le-
gislatores voluerunt, qui publica auctoritate figuratus quasi
confirmatusq; esset. Hunc stipulationem appellantes, addi sem-
per mutuo iusere, quoties ad alia, quæ ex natura contractus
non fluunt, alterum quis cuperet obligatum. Vtvt igitur certis an-
nis quod nudo pacto conuenerat, soluisti; ad præstationes eius-
modi tamen in posterum non obligaris, quam diu stipulatio
non interuenit. *l. 28. C. de pact. l. 7. C. de usur.* Ceterum diuturna so-
lutio, nisi de pacto vel ex se, vel ex probatione debitoris constet,
stipulationis præsumptionem inducit: quam & singularis interdum
fauor confirmat. *l. 6. de usur. l. 1. C. de fideicom.* Excipiuntur quoque
pacta legitima, quæ conditionem ex lege pariunt. *arg. l. 6. de pact.
iunct. l. vn. de condict. ex lege. Nou. 162. c. 1. in fin.* non autem actionem
præscriptis verbis, quod Pacio ad *l. 12. C. de usuris* placet: quia hæc
tum demum competit, quū alia nulla superest. *l. 21. de præscr. verb.*
nisi per pactum contractus resoluatur; cuius exemplum habe-
mus in *l. 2. C. de pact. int. emt. & vend.* a Pacio citata. Legitimum pa-
ctum est, si ciuitas pecuniam credens, de usuris conueniat. *l. 30.
de usur.* Cui adde quæ de argentariis; de fœnore nautico; de spe-
ciebus mutuo datis, paulo ante tradebamus. Hæc enim ea de
causa confirmantur, ne in damnum temere contrahentes incur-
rant. Quamquam vero nudum pactum actionem nullam parit;
tantum valet tamen, vt promittentem naturaliter obstringat. Le-
ges etenim eiusmodi conuentionem non prohibent; sed tan-
tummodo non confirmant: adeoque admittit culpam, qui fidem
non seruat; quamuis a magistratu non cogatur puniaturve. So-
lutæ igitur ex conuentione usuræ neque repeti possunt; & in sor-
tem nequaquam computabuntur. *l. 5. §. 2. de solut. l. 3. C. de usur.*
vinculum enim naturale impedit conditionem: atque pactum,
quod non valet ad agendum, valet tamen ad retinendum. Quod
si computarentur usuræ, naturalem pariter ac ciuilem obligatio-
nem

G



Bach. ad
Tr. 2, 33.
lit. c.

Cuiac. 10.
obf. 24.

Vinn. d. l.

d. tract. de
vsur.

nem tollerent. illam quidem; quia soluendo liberamur ab eo, quod naturaliter debemus: hanc; quia pars sortis eo casu auferretur. Pari modo pignus quoque vsurarum nomine; vel in sortem & vsuras simul; vel simpliciter (non vero in sortem duntaxat. l. 11. §. 1. de pign. actione) datum, intuitu naturalis obligationis licite retinebis. l. 4. C. de vsur. l. 8. §. ult. ff. de pign. actione. l. 18. ff. qui pot. in pign. Ciuilem obligationem non parit quidem, sed præparat simplex conuentio in bonæ fidei contractibus: quia hi mutux præstationis sunt, in iisque & obligant vterque, & obligantur. Noluerunt scilicet veteres in pari causa seueram a deo legem contrahentibus ponere; & iudicis quoque potestatem minus formulæ adstrinxerunt, vt liberum æstimandi ius haberet, quid alterum alteri, quamuis expresse nihil conuentum, ex bono & æquo oporteret præstare. Pauli regula est: *Tantundem in bonæ fidei iudiciis officium iudicis valet, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio.* l. 7. de N. G. Inde venit, vt post moram accessiones officio iudicis præstentur, l. mora. 32. §. 2. de vsur. vtque dies etiam pro homine interpellet. l. 12. de contr. stip. Quod aliter fit in contractibus *μονοπλευγούς*, siue stricti iuris; quorum causa minus est fauorabilis; adeo vt ne a tempore quidem litis contestatæ vsuræ currant. l. 24. de præscr. verb. l. 1. C. de cond. ind. Necquicquam opponitur l. 35. de vsur. nam de vsuris antea debitis accipienda est. Quin Honoratus Leotardus iuxta cum aliis ideo mutuum in contractibus stricti iuris receptum iudicat, ne ex mora vsuræ præstarentur. Multo, inquit, æquius videbatur, mutuum inter contractus bonæ fidei referre, quam depositum, commodatum, mandatum, emtionem & alios huiusmodi: quia propter utilitatem & necessitatem solius recipientis fieri solet. Nihilominus tamen, quia mutuum in rebus duntaxat consistit, quæ usu consumuntur, & illis absumentis difficilis plerumque est earum restitutio, cum spes sæpe miseros debitores fallat, ideoque fere fit, vt moram in solutione facere cogantur; veteribus placuit a contractibus bonæ fidei mutuum secernere, ne vsuræ propter moram ex eo contractu deberentur, & debitores fere semper in vsuras incurrerent. Hæc præclara in speciem; verior tamen omnino

DISSERTATIO.

51

minimo laudata Vinnii est sententia. Et cur non commodatum in
 iis ponit, quæ solius accipientis gratia traduntur? Quantum ad
 legata & fideicommissa; certi iuris est, ut ob fauorem vltimæ vo-
 luntatis, in quæstione de mora, eodem cum bonæ fidei iudiciis
 priuilegio gaudeant. *l. 3, 34. de usur. l. 3. C. in quib. causis in in-
 tegr. rest. non est nec.* Neque obstant Seueri atque Antonini Impp.
 Constitutiones; quæ legatorum, seu fideicommissorum vsuras,
 ex eo tempore, quo lis contestata est (quum de bonæ fidei iu-
 diciis constet, a tempore moræ & citra litem contestationem vsu-
 ras præstari) percipi affirmant. *l. 1. & 2. de usur. & fr. leg.* Nimi-
 rum ponitur hic aperte litem contestatio, ut de mora eo minus
 dubitetur: quæ interdum ante litem contestatam non solet com-
 mitti. *l. 3. pr. de usur.* Fisco etiam in quibusuis contractibus *l. 17.
 §. 5. l. 43. de usur.* atq; in actione rei iudicatæ, ex mora vsuræ debentur. *l. 2. C. de usur. rei iud.* Illic in perpetuum ac singularem publicæ
 rei fauorem; hic in pœnam, ut Gellii verbo utar, imparientia.

Ait Imperator: *in aliis omnibus casibus.* Diserte puta non
 exceptis. Centesima enim in vsuris rei iudicatæ *tit. C. de usur.
 rei iud.* & in casu *l. 4. C. de adif. priuat.* speciatim per mitti-
 tur. Quid vero sentiendum de illis legibus, in quibus *ma-
 ximarum & grauisimarum* vsurarum fit mentio? per quas vulgo
 centesimas intelligunt. Petrus Gregorius, I. C. Tholosanus, *Syntax. 22,
 3, 45. & 46,
 & 48.*
 (* quem aliquoties solo hoc nomine more quorundam citauimus) aliter longe eas putat explicandas. Sed & maximæ, inquit,
 & minores vsuræ secundum etiam mores & consuetudinem loco-
 rum *l. 1. de usur.* & habita ratione negotiorum intelligendæ sunt. ** xal' i'g-a-
 xiv cum
 non male sic
 nominaue-
 ris: nam
 ceteri com-
 muniter se
 Tholosates
 appellant:
 quamquam
 & apud
 Plinium in
 historiis
 Tholosani
 vocabulum*
 neque nomen maximarum vsurarum semper ad centesimam re-
 ferendum est; ut plerique falso interpretantur: ut *glosf. in l. 1. C.
 de usur. pupill. ut in l. qui sine vsuris. 38. de neg. gest. & l. non existi-
 mo. 54. de adm. & per. tut.* Quare cum Tryphoninus respondit,
 tutorem, qui pupilli pecunias clam accepit, condemnari ad ma-
 ximas usuras; id explico, ut non ad centesimas (quia illæ ad
 nauticam & pecuniam traiectitiam pertinent) nec ad communes;
 sed ad eas maximas teneatur, quas quis ex pecuniis pupillaribus
 negociando vel fœnerando consequi potuisset; perpendendo

C 2

mo-

eodem sen-
su bis vsur-
patum si-
deo.

mores diuersos regionum. iuxta *l. tutor. §. si post. depos. & §. qua sunt. & seqq. ff. de adm. & per. tut.* Sic enim etiam iubentur iudices in definitione vsurarum morem & consuetudinem regionum sequi, dummodo quantitas definitionem legis non excedat. Paulus in *l. cum seruus. 39. §. in vsurarum. ff. de legat. i. l. i. de vsur.* Huic vero sententiæ quo minus faueamus, illud facit; quod passim & communiter interpretes centesimam in legibus hisce signari statuerunt. Neque potuere Vlpianus, aut Tryphoninus alias denotare vsuras: quum simpliciter loquantur; & hæc ipsa fuerit olim iure ciuili maxima: ultra quam, nisi certis casibus, nulla legibus licita habebatur. Inusitatum vero est, vt legibus alium, quam quo ab auctoribus suis prolatae sunt, sensum affingamus. Hoc igitur manet, Iustinianum ipsum de centesimis eas accepisse. Sed vtrum per generalem hanc Constitutionem sunt correctæ? Haud sane affirmauerim. Nam certi iuris est, speciali legi vniuersalem, nisi expresse id fiat, nihil derogare. *l. 32. §. 6. C. de appellat.* Suardet ad hoc ratio summa, vt vsuras communibus maiores, quoniam in pœnam exiguntur, ponamus. Maiores autem illæ non sunt, quas quis maximas pro diuersitate morum ac regionum consequi poterat (nam has omnes reliquis Iustinianus exæquauit) sed quæ vsuras constitutione nostra præfinitas excedebant. At vero nihil de earum quantitate in Codice reperitur sancitum: igitur consequens est, leges istas, ex recepta Iureconsultorum sententiâ, de centesimis intelligi debere.

Pergit Imperator, & vsuras etiam moribus in diuersis regionibus intro ductas, ita moderatur, vt præsentem hanc taxationem iudici nullo modo liceat excedere: siue de promissis ferenda sententiâ; siue ob moram officio iudicis fuerint assignanda. Non autem eo hæc extendenda, vt quincunces, aut trientes, aut leuiores vsuræ in prouincia frequentatae. *l. 7. §. 10. de adm. tut.* augeantur. Quod statuendum quoque si lege speciali minores dictæ sunt: quales occurrunt *l. 17. §. fin. de vsur. l. fin. §. 2. C. de iure dot.* Quid vero, si quis aliquid contra modum huius fecerit constitutionis? Ait Imperator: *Nullam penitus de superfluo habeat actionem.* Valebit igitur stipulatio vsurarum, in quantum non

DISSERTATIO.

non superflua, sed civili iure permiffa sunt. *l. 9, 20, 29. de vfur.*
 quum vtile per inutile, modo feiungi poffit, non debeat vitiari.
c. 37. de reg. iur. in 6. Multo autem minus accesforium hoc totum
 contractum reddet irritum: nifi diferte in poenam creditoris ita
 conftituatur. Exemplum *Novella 32* fuppeditabit. Nondum
 itaque foluta vfuræ ultra licitum modum peti nequeunt: fed etfi
 accepit creditor, in fortem eas imputare compellitur: aut poft
 fortem folutam reftituere tanquam indebitas tenetur. *l. 26. de cond.*
ind. l. 18. C. de vfur.

Transit Imperator ad fraudes & machinationes, quibus
 eludere creditores præfcriptum vfararum modum solebant. Ple-
 rique etenim initio contractus vario fortem prætextu deminu-
 entes, in fyngrapha aut chirographo integram, ftipulatasque to-
 tius summæ vfas, fcribi curabant. Duos hic præcipue casus
 recenfet Imperator, quorum nomine de pecuniis fœnori dandis
 detrahebant aliquid, vel retinebant. *Siliqua*, finiente Ifidoro, vice-
 fima quarta pars folidi eft, ab arboris femine vocabulum tenens.
 Hinc onus *Siliquatici*; fic dictum, quod a negotiatoribus nun-
 dinis quibusque, ex qualibet mercium negotiatione, dimidia
 filiquæ ab emtore, dimidia a venditore, conftituentibus Theo-
 dofio & Valentiniano A. A. ærario inferretur. *Sportularum* vo-
 cabulum ortum ex prandio vel cœna, quæ in panariolos vel
 sportellas coniecta dabatur clientibus. Deinde & falaria, con-
 giaria, diaria, honoraria denotarunt. Sic sportulæ appellantur
 mercedes exsecutorum; Græcis ἐπιβάσιμα. *l. 33. §. 5. C. de Episc.*
& cler. l. 12. §. 1. C. de prox. facr. fcin. l. ult. C. de fruct. & lit.
expens. Sub harum igitur filiquarum ac sportularum prætex-
 tu, quafi vel tabellionibus pro fcribenda cautione; vel exa-
 ctoribus, pro pecunia exigenda; vel collectæ, aut alio etiam
 nomine deberent præftari, de forte creditores aliquid retine-
 bant. Atqui geminus inde quæftus. nam & filiquæ fiue spor-
 tulæ eis cedebant lucro; & debitor, quamdiu utebatur pecunia,
 grauiores, quam pro accepta forte, vfas pendere tenebatur.
 Occurrens vero malo huic Imperator, *Si quid huiusmodi*, inquit,
factum fuerit, principale debitum ab initio ea quantitate minuetur,

*vid. Gro-
nou. de Soff.*

P. 473.

*vid. Gron-
de fectert. im-
fin.*

Cuiac. 16.

Obs. 23.

*vid. Cuiac.
ad tit. C. de
sportulis.*



Lii. l. 35.

debitor ultra id, quod datum est, non obligabitur, *ut tam ipsa minuenda pars, ut neque portio illa filiquarum nomine, vel spottularum, vel alterius cuiuscunque causæ gratia recisa ac reservata, quam usura eius portionis, exigi prohibeantur.* De cetero solutæ si fuerint, conditione indebiti recte repetuntur. Quæ enim vetante magistratu conventio initur, ea ne naturalem quidem obligationem parit. *arg. l. 7. §. 16. de pact. l. 5. C. de L.L.* Sequitur iam nova fallacia, priscis & Iustiniano longe prioribus seculis haut incognita. Quum etenim L. Genutius ad plebem tulisset, ne omnino scenerare liceret; mox in fraudem avarissimus quisq; consilia vertebat. Transcriptis igitur in socios, qui legibus hisce non tenebantur, nominibus, libero debitores scenore ob-
ruebant. Sed facile dolus deprehensus. Hinc iterata per M. Sempronium tribunum plebis rogatione sciscebatur, ut cum sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem, quod cum ciuibus Romanis, esset. Iustinianus alia adhuc ratione hanc vsurarum, improbisissimarum viam intercludit. Ait: *Machinationes etiam creditorum, qui ex hac lege prohibiti maiores vsuras stipulari, alios medios subiiciunt, quibus hoc non interdictum est; puta si illustres personæ aut agricolæ, argentarios vel negotiatores interponant, quorum ope beses stipulentur; ressecantes, irritas esse volentes, iubemus, si quid tale fuerit attentatum, ita vsuras computari, ut neesse esset, tanquam si ipse, qui alium interposuit, fuisset stipulatus.* Hæc diserte constituuntur; quum legislatori alias, quod fieri non vult, generaliter tantum prohibuisse sufficiat, ceteraq; quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere. *l. 5. C. de LL.* Ait porro: *in quo casu etiam sacramenti illatione locum habere sancimus.* quotiescunq; scilicet haut vana coniectura est, fallaciæ aliquid creditorem moliri. Hinc regula interpretum; Usurariæ prauitatis præsumtionem iuramento purgationis creditore onerare. Nondum vero omnes sceneratorum machinas Imperator detexit. Neq; vnquam tantus earum numerus inietur, quin nouas subinde excogitet ingeniosum in perniciem fortunarum nostrarum genus. De Gallia testatur Baudius in commentario de scenore: *Tot latebra, tot effugia reperta sunt ad eludendam elidendamque omnem animaduersionem, ut*
vix

vix unquam liquido pronunciare possit cognitor, satis quasitum videri. Sic interdum legitimis usuris in stipulationem deductis, poenam insuper adiciebant. Quin etiam, ne stipulata in singulas Kalendas poena usuras nimium redoleret, vnam in omnem fortis usum pensionem postulabant. quæ sæpe alterum tantum; id est, tantumdem semel, quantum in sorte datum, erat. Ad hæc dilata nonnunquam usurarum solutione, quum satis creuisse viderentur, noua easdem stipulatione in sortem redigebant; calide ac per fraudem usuras usurarum exigentes. Ista vero vniuersa deinceps prohibita & publicis interdicta legibus fuerunt. *l. poenam. 44. de usur. l. 15. 16. C. eod.*

vid. Hotom. Epit. in π. 22, 1, 27. § 29.

Numquid vero alia nulla in fœneratores animaduersio? Coërcebantur antiquitus poena quadrupli: quæ desuetudine postmodum abrogata atq; in infamiam mutata fuit. *l. 20. C. ex quibus causis inf.* vt nemini tamen infligatur temere, nisi qui fœnus illicitum constanter, & tanquam artē quandam exercuerit. An ipso iure usurarius infametur, quæstionis est. Affirmat Bachonius, rationibus satis validis subnixus. Non absurde vero dubitare posses, annon futuri temporis verbum, in constitutione ista usurpatum, sententiã iudicis, manifeste videatur deposcere. Namq; alias poenæ, ipso iure infligendæ, præsentis aut præteriti tēporis vocabulo signantur. De extraordinaria, & quidē criminali animaduersione, obiter monemus, certum eius nullū in Romanis legibus occurrere vestigium. Disceptari etiam consuevit, ad quodnam forum quæstio & causæ usurarum pertineant. Interpretes legis nostræ ad ciuilem potestatem spectare, argumento verbi *iubemus* contendunt. Neque est ratio cur ecclesiastico foro iudicium earum attribuamus. Quin tantum abest, vt ius Pontificium laico cognitionem harum causarum eripiat; vt potius adiudicare vniue videatur. *c. post miserab. de usur.* quod neutiquam fieret, si ad ecclesiasticum tantum forum crimen hoc referretur. *inxta c. tuam. de ord. cognit.*

Bach. ad Tr. 2, 3, 5, l. 6.

Bach. d. l.

Hactenus Imperatori operam stylumque commodauimus: paucissimis nunc, nec nisi indicis ritu commemorare habemus, quantum a Constitutionibus illius tempora nostra declinauerint.

rint.

QK TA 1002

AD L. XXVI. §. I. C. DE VSVRIS.

rint. Communi vero iure comparatum est, ne ultra quincunces
 vsurarum nomine cuiquam exigere liceat. Neque mercatorum
 hac in re melior causa, nisi diuturna consuetudine aliud in mo-
 res fuerit inductum. Recessus Prouinciales in Electoratu Saxoni-
 co, A. MDC XXVIII. & sequentiū, speciatim indulgent, vt sextus ad-
 huc florenus, collectæ Magistratui soluendæ gratia accedat. Cre-
 ditores præterea, qui pluris sua interesse probare volunt, audiuntur:
 quod si frustra & falsi fuerint, etiam quincuncibus excidunt.
 Hoc quoque notandum, a tempore litis contestatæ in mutuo;
 itemque a die contumaciæ, quæ contestationis numero habetur,
 quincunces loco interesse recte peti. Quamquam autem fructum
 sæpe numero maiorem ex ipso rerum nostrarum vsu percipimus;
 placuit tamen prudentissimis conditoribus legum: ne vel in-
 grauescerent vsuræ nimium; vel idem emolumentum ad otiosos &
 securos casum rediret: vt quincunces tantummodo promitti
 possent, aut per iudicium assignari. Qui quidem modus melio-
 rum fundorum redditibus respondet, vicesimo demum anno exæ-
 quans sortem. Pœnæ fœneratorum istæ sunt. Ipsi contractus in-
 firmantur, & quarta insuper sortis pars, in Electoratu vero Saxo-
 nico integra fors, fisco cedit; & arbitraria interdum fustigatio-
 nis, relegationis, aut carceris pœna delinquentibus irrogatur. Quæ
 vniuersa ac singula copiose viri doctissimi, in iisque præcipue Be-
 nedictus Carpzouius, exposuerunt. Ad hos lectorem meum fas
 erit delegare. Nobis enim subsistendum aliquando est, ac faciem-
 dus commentandi finis. Et forsitan videbimur quibusdam cum
 Albutio Rhetore non quæ debebant dici, sed quæ poterant, dice-
 re voluisse. Tu, erudite Lector, si quæ nondum excusata satis, &
 minus elaborata; si quæ alia humanæ imbecillitatis vestigia depre-
 hendes, facile ignosces non omnia peruidenti. Quod in chiro-
 grapho suo Cæsar Augustus sæpe non literas modo; sed syllabas
 aut permutabat, aut præteribat, communi hominum errori tri-
 buit Suetonius. Obrepunt scilicet vt scribentibus, sic & medi-
 tantibus sui errores: quos optimus quisque sollicitè fugit;
 effugere, nisi cognata cælo & proxima DEO mens,
 non potest.

Gratias tibi benignissimum Numen!

Ant. Faber.
in Cod. 4,
24, 2. Adde
Carpz. 2,
30, 2. § 3.


A Fab. in
Cod. 4, 24,
33.

Faber. in
Cod. 4, 24, 2

Vid. Coler.
de Process.
Execut. 1, 10
Carpz. 2. c.
30. Prax.
crim. 2, 92.

1077

Mu
tar
accedas.
uenta n
optima
quæ alit
bent. n
alienis.



ad consum
d subactam
uenturis in
ea conditio
rba inuenit,
faciem ha
t tanquam

